S. Bonaventurae doctrina de gratia et libero arbitrio.

Dissertatio inauguralis

in ordine

ad Doctoratus lauream in S. Theologia obtinendam Friburgi Helvetiorum

auctore

P. Fr. Georgio Božitković O. F. M.

Licentiato S. Theologiae.

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

— 1919. —

Sumptibus propriis. — E Typographia „Egerland" Balneis Marianis.

Ad Nr. 1666.

Imprimatur!

Sinj die 10. aprilis 1918.

Fr. Franciscus Dr. Lulić
Min. Provincialis.

Nihil obstat.

Dr. A. Grimmer
censor.

Imprimatur.

Ex Ordinariatu Pragensi, 1. August. 1920. Nr. 10.969.

† Anton Podlaha
Episc. Paphiensis, Vicarius Gener.

Index rerum.

Introductio in S. Bonaventurae opus . . . . . pag. V

Caput. I. Quanam methodo investigandum sit S. Bonaventurae opus? . . . . . „ V et VIII

Caput. II. An peripateticorum scholae adhaereat? . . . . . „ VIII „ XX

Caput. III. Quomodo se habeat in expositione scholastica? . . . „ XXI

§ 1. De S. Bonaventurae relatione ad sacram Scripturam . . . . . „ XXI „ XXII

§ 2. De S. Bonaventurae habitu ad S. Patres . . „ XXII „ XXVII

§ 3. De modo S. Bonaventurae se gerendi ad Magistros . . . . . „ XXVII „ XXXIII

§ 4. De S. Bonaventurae dispositione ad philosophos scientiarumque peritos . . . . . „ XXXIII et XXXVII

Caput. IV. Qualem characterem et indolem doctrina ipsius scholastica exhibeat? . . . . . „ XXXVIII et XL

Caput. V. Quid de gratia et libero arbitrio senserit? . . . . . „ XL et XLII

Introductio
in
S. Bonaventurae opus.

Superfluum mihi videtur in hac introductione ex professo operam dare disquisitionibus criticis circa vitam et scripta S. Bonaventurae. Hoc enim emeriti editores operum S. Bonaventurae ad Claras Aquas, decursu viginti annorum, magnâ curâ et diligenti studio, tam in singulorum librorum prolegumenis quam in duabus doctis dissertationibus[1]) praestiterunt.

Quod autem hoc loco referre desidero, nihil aliud est quam instituere aliquas observationes, quas proprio studio ac experientia in legendis operibus S. Bonaventurae, nec non libris gravium auctorum praesertim recentiorum de doctrina ipsius Doctoris scholastica tractantium, adeptus sum, quibus cognitis, facilius erit incipienti vacare doctrinis S. Bonaventurae, fidelius veriusve secernere quid S. Bonaventura ut scholasticus sit, ab eò quod de S. Doctore quidam coaevi critici indicant.

Hanc autem divisionem introductionis statuerem, scilicet in primo capite: quanam methodo investigandum sit S. Bonaventurae opus? in secundo: an peripateticorum scholae adhaereat? in tertio quomodo se habeat in expositione scholastica? in quarto: qualem indolem ipsius doctrina scholastica exhibeat? in quinto denique: quid de gratia et libero arbitrio senserit?

Caput I.

Quanam methodo investigandum sit S. Bonaventurae opus?

Ante omnia incipienti navare studio operum S. Bonaventurae recte prae oculis habendus est catalogus criticae editionis.[2]) Quo diligenter cognito, curae eiusdem interest adamussin stabilire quaenam opera istius

[1]) Cfr. S. Bonaventurae operum omnium complementum, t. X. Dissert. de scriptis et vita S. Bonav. p. 1—73. (ad Claras Aquas 1902).

A. Pelzer de nova editione operum S. Bonaventurae in „Revue néo-scolastique", 1903, p. 98. dixit: „Toutes les autres éditions totales ou partielles du docteur séraphique se trouvent déclassées par une oeuvre qui, au jugement des savants les plus compétents, tels que le P. Denifle et le Dr. Baeumker, constitue un modèle du genre et répond notamment à toutes les exigences de la critique."

[2]) V. Dissertationem primam de scriptis seraphici Doctoris, p. 1. et 2 (tom. X.) ab editoribus ad Claras Aquas 1902, publici iuris factam.

Doctoris ad singulos variarum scientiarum ramos pertineant, ut valeat certe ac vere discere ea quae supra laudatus Doctor de singulis scientiis speciatim docet.

Eo consilio, ut res manifesto exemplo omnibus clara fiat, sequenti modo S. Bonaventurae opera dividi possunt: in theologico-philosophica, apologetica, exegetica, historica, iuridica, rhetorica, poëtica, ascetica et mystica. Haec autem divisio non est arbitrarie a me excogitata, sed ipsam tum internum argumentum tum singulorum operum S. Bonaventurae indoles postulant atque suadent. Multi recentiores critici, prout suo tempore videbimus, non curantes de illa divisione, naufragium circa genuinam doctrinae theologico-philosophicae cognitionem passi sunt, confundentes praecipue ea quae docet S. Bonaventura in theologia mystica cum illis quae ab ipso in tractatibus philosophico-theologicis traduntur.

Ad evitandum in posterum similem errorem, operis pretium est, in hoc loco exactam divisionem omnium operum S. Bonaventurae praemittere, ut recte capiatur quandonam loquitur ut theologus vel philosophus, quando vero ut apologeta, exegeta, historicus, iurisconsultus, orator, poëta, auctor pius et mysticus.

Opera inde quae de rebus theologicis philosophicisque agunt, sequentia sunt:

1—4. Commentarii in quattuor libros Sententiarum P. Lombardi; t. I—IV.
Quaestiones disputatae: de scientia Christi, de mysterio SS. Trinitatis; t. V. p. 1—115.
Breviloquium; t. V. p. 199—291.
Itinerarium mentis in Deum; t. V. p. 293—316.
Opusculum de reductione artium ad theologiam; t. V. p. 317—325.
Collationes in Hexaëmeron; t. V. p. 327—454.
„ de septem donis Spiritus sancti; t. V. p. 455—503.
„ de decem praeceptis; t. V. p. 505—532.
Sermones selecti de rebus theologicis; t. V. p. 533—559[1]).

Apologetica quidem:

Quaestiones disputatae: de perfectione evangelica, contra Guillelmum a S. Amore; t. V. p. 116—198.
Apologia pauperum, contra Geraldum de Abbatis Villa; t. VIII. p. 230—330.
Epistola de tribus quaestionibus ad innominatum Magistrum; t. VIII. p. 331—336.

Exegetica genuina:

Commentarius in librum Ecclesiastes; t. VI. p. 1—103.
„ „ „ Sapientiae; t. VI. p. 104—235.
„ „ Evangelium Joannis; t. VI. p. 236—532.
Collationes „ „ „ ; t. VI. p. 533—634.
Commentarius „ „ Lucae; t. VII. p. 1—604.

---

[1]) Cfr. P. Marcellino da Civezza O. M., Della vera filosofia e delle dottrine filosofiche del serafico Dottor S. Bonaventura, Genova 1874. cap. XI. p. 243 et 244.

Exegetica dubia:
Expositio in Lamentationes Jeremiae Prophetae; t. VII. p. 605—651.
„ orationis dominicae; t. VII. p. 652—655.
Historica:
Legenda maior S. Francisci; t. VIII. p. 504—564.
„ minor „ „ ; t. VIII. p. 565—579.
Juridico-moralia:
Determinationes quaestionum circa Regulam Fratrum Minorum; t. VIII. p. 337—374.
Opusculum, quare Fratres Minores praedicent et confessiones audiant; t. VIII. p. 375—385.
Epistola de sandaliis Apostolorum; t. VIII. p. 386—390.
Expositio super Regulam Fratrum Minorum; t. VIII. p. 391—437.
Sermo „ „ „ „ ; t. VIII. p. 438—448.
Constitutiones Generales Narbonenses; t. VIII. p. 449—467.
Epistolae [7] officiales; t. VIII. p. 468—474.
Rhetorica:
Introductio cum opusculo de arte praedicandi; t. IX. p. 1—21.
Sermones de Tempore; t. IX. p. 23—461.
„ „ Sanctis; t. IX. p. 463—631.
„ „ B. Virgine Maria; t. IX. p. 633—721.
„ „ Diversis; t. IX. p. 722—731
Ascetica certa:
De Quinque Festivitatibus pueri Jesu; t. VIII. p. 88—98.
Tractatus de praeparatione ad Missam; t. VIII. p. 99—106.
De Perfectione vitae ad Sorores; t. VIII. p. 107—127.
De Regimine animae; t. VIII. p. 128—130.
De Sex Alis Seraphim; t. VIII. p. 131—151.
Regula Novitiorum; t. VIII. p. 475—490.
Epistola continens 25 memorabilia; t. VIII. p. 491—498.
„ de imitatione Christi; t. VIII. p. 499—503.
Ascetica dubia:
Speculum disciplinae; t. VIII. p. 583—622.
„ conscientiae; t. VIII. p. 623—645.
Collatio de contemptu saeculi; t. VIII. p. 655—657.
Compendium de virtute humilitatis; t. VIII. p. 658—662.
Epistola ad quemdam Novitium; t. VIII. p. 663—666.
Mystica genuina:
De triplici via (alias Incendium amoris); t. VIII. p. 3—27.
Soliloquium de quatuor mentalibus exercitiis; t. VIII. p. 28—67.
Lignum vitae; t. VIII. p. 68—87.
Vitis mystica; t. VIII. p. 159—229.
Mystica incerta:
Summa de gradibus virtutum; t. VIII. p. 646—654.
Poëtica genuina:
Officium de Passione Domini; t. VIII. p. 152—158.
Poëtica dubia:
Rhythmica, continens quinque carmina; t. VIII. p. 667—678.

His enim omnibus cognitis, quaeritur, quonam modo a studente S. Bonaventuram incipienda sit scientifica inquisitio ad recte detegendum ea quae S. Bonaventura de singulis scientiis doceat, vel quod est adhuc magis particulare, quânam viâ ab eodem procedendum sit ad rite intelligendum ea quae idem Doctor speciatim de singulis quaestionibus sive in theologia sive, in aliis disciplinis sentiat?

Propriâ experientiâ edoctus, credo, hanc difficultatem a studente faciliter superari posse, dummodo diligenter in primis recurrat ad indices vel summaria singulorum librorum, qui ipsi monstrabunt ubinam singulae quaestiones ad rem proxime vel remote pertinentes inveniuntur, quibus perlectis de quaesita re quemdam conceptum generalem ipsius auctoris conciliare potest. Postquam haec omnia peregit, ab eo adhibenda est methodus analytica cum omnibus exigentiis criticis, ac secundum sanas solidasque regulas a methodologis praescriptas, processum inquisitionis instituere naturalique modo pergere usque dum obiectivam doctrinam ipsius Doctoris assequatur. In decursu huius processus studens etiam prae viribus suis curare debet, ut cognoscat quomodo et quare S. Bonaventura talibus rationibus et argumentis praedictam quaestionem instituerit atque evolverit? Quaenam causae proximae remotaeque in eum influxerint ut unam sententiam prae alia eligeret et sequeretur. Multo minus obliviscendum est, quin realem ordinem ideamque matrem; speciales divisiones terminologiamque ipsius Doctoris, si quae sint, claris verbis explicando assignentur. Haec omnia, prout mihi persuasum est, libentem studentem adducere atque disponere poterunt, ut brevi intervallo temporis magnus, profundus, verus sincerusve S. Bonaventurae genuinae doctrinae peritus interpres fiat.

Neque negligenda est altera pars, psychologica nempe eiusdem Sancti a studente considerari, quippe in ea latet quomodo se gerit ipse S. Bonaventura in opinionibus communibus, dubiis, difficilioribus, novis et incertis.

Nullum S. Bonaventurae interpretem sive ex antiquoribus sive ex recentioribus statim commendo, ne studens quibusdam de ipsius Sancti doctrina praeiudiciis inbutus atque corruptus, sub influxu eorum praedominante, inquisitioni sinceroque examini inpendendo, operam dederit. Tales autem res legendas suadeo nonnisi postquam suum in S. Bonaventuram opus absolverit, ut, si quid boni vel mali in eis inveniret, in certis locis referre posset.

Caput II.

An peripateticorum scholae adhaereat?

In historia artis criticae ultimis temporibus quatuor diversi status reperiuntur, in quibus opinio, ut ita dicatur publica, de doctrina philosophica S. Bonaventurae quasi facies lunae in caelo varias oppositasque mutationes induit.

Quarum prima, alterâ parte saeculi elapsi a Renan[1]) excogitata, accusavit totam scholam franciscanam s. XIII[i] placitis averroisticis favisse.

Ad huius sententiae oppositum se vertit paulo post alia arbitrans doctrinam philosophicam S. Bonaventurae non sapere nisi purum augustinismum, qui, praecunte Alexandro Halensi, suum apicem in S. Bonaventura attigit. Praecipui fautores huius theoriae sunt Ehrle[2]) et Portalié[3]).

Tertia opinio autem in eadam doctrina philosophica S. Bonaventurae non videt nisi mysticam christianam vel saltem eius elementum

[illegible]

[1]) Ernest Renan, Averroès et l' averroïsme, Paris 1866. éd.[3] p. 259—267. „J'espère démontrer que, sans abuser de la conjecture, on peut désigner comme les deux foyers de l' averroïsme, au XIII[e] siècle, l' école franciscaine et surtout l' Université de Paris." p. 259.

[2]) **Franz Ehrle,** Beiträge zur Geschichte der mittelalterlichen Scholastik. II. Der Augustinismus und der Aristotelismus in der Scholastik gegen Ende des 13. Jahrhunderts in Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters. B. V. (Herder. Freiburg im Br. 1889.) S. 605. dicit:

„Für die Franziskanerschule war gleich ihr erster bedeutenderer Pariser Lehrer Alexander von Hales von bestimmender Bedeutung. Schon vor seinem Eintritt der vorzüglichste Lehrer des an der Pariser Universität seit ihren ersten Anfängen herrschenden Augustinismus, schuf Alexander durch seinen Eintritt in seinem Orden dieser Richtung einen ausgezeichneten Vertreter. **Dieser Augustinismus war es, welchen der hl. Bonaventura und dessen großer Schülerkreis eifrig fortentwickelten und auf der Höhe der Zeit erhielten."**

[3]) **E. Portalié,** Augustinisme, Dictionnaire de Théologie catholique, t. I. Paris 1903. col. 2503—2506. II. Tableau de l' Augustinisme dominant au début du XIII[e] siècle:

„A ce moment l' augustinisme qui règnait sans rival dans les écoles, sans être un système complet et rigoureusement enchaîné comme le sera le thomisme, embrassait un certain nombre de théories, d' ordre plutôt philosophique, admises généralement par la scolastistique préthomiste . . .

1°. **Thèses générales de méthode.** — 1. Fusion de la théologie et de la philosophie, ou absence de distinction formelle entre les deux domaines et les deux ordres de vérités rationnelles et de vérités révélées . . . 2. La préférence est donnée à Platon sur Aristote: celui-ci représente le rationalisme dont on se défie; l' idéalisme de Platon séduit . . . 3. La sagesse est envisagée comme philosophie du Bien plutôt que comme philosophie du Vrai . . . La métaphysique est dominée par la morale . . .

2°. **Thèses psychologiques.** — 1. Théorie de la connaissance: notre intelligence n' atteint la vérité que sous l' action illuminatrice et immediate de Dieu. 2. Théorie des facultés de l' âme: elles sont substantiellement identiques à l' âme elle-même, conçues comme des fonctions, non comme des entités distinctes . . . 3. L' indépendance substantielle de l' âme vis-à-vis des corps est un principe augustinien: l' âme est vraiment une substance, même sans le corps; elle trouve en elle-même son principe d' individuation.

3° **Théories cosmologiques.** — 1. La matière du monde n' est point conçue comme la pure potentialité d' Aristote, mais comme une actualité positive, quoique dans un degré infime . . . 2. Dans la matiere sont renfermées les fameuses rationes seminales des choses . . . 3. **La composition hylémorphique** des êtres spirituels fut également considerée comme une des grandes thèses augustiniennes . . . „4. La multiplicité des formes substantielles dans les composés, spécialement, dans l' homme, fut aussi soutenne avec energie par les augustiens contre l' aristotélisme au XIII[e] siècle." Idem auctor in col. 2508 expresse de S. Bonaventura dicit: **„Tandis que Bonaventure vise à établir une école de théologie mystique en maintenant autant que possible la théologie augustinienne antérieure."**

P. Mandonnet, Siger de Brabrant etc. Fribourg (Suisse) p. LXIV—LXVII.

praevalens. Haec enim placita maxime Jourdain[1]), Werner[2]), Lutz[3]), Picavet[4]) Hauréau[5]) et Stöckl[6]) arrident.

Quarta demum opinio regrediens aliquatenus ab omnibus tribus prioribus agnoscit etiam in philosophia S. Bonaventurae adesse fundamenta peripatetica. Huic autem sententiae adhaerent Georgius Hertling[7]) et Mauritius de Wulf[8]).

---

[1]) **Jourdain,** Philosophie de Saint Thomas d' Aquin, t. II. ch. 2. (Paris, 1858).

„Saint Bonaventure n' était pas étranger aux études scholastiques; il avait lu Aristote, et le Maître des Sentences il a laissé des commentaires qui égalent tout ce que le moyen âge a vu paraître de plus considerable en ce genre, **On sent toutefoisque son coeur n'est pas là, et son enthousiasme comme ses affections n'appartiennent ni aux doctrines peripatéticiennes qu' il corrige, ni à la logique abstraite qui est en usage autour de lui, et dont il se serve par tradition. Sa méthode préferée est celle qui consiste à s' élever à Dieu par la prière, le detachements des biens terrestres, l' humilité, la méditation et ces divines extases qui sont l'avant-goût des joies éternelles.**"

[2]) **Werner,** Die Psychologie und Erkenntnislehre des Johannes Bonaventura — in Sitzungsberichte der Philosophisch-Historischen Classe der kaiserlichen Akademie der Wissenschaften 82. Band. Jahrgang 1876, Heft III. Wien 1876. SS. 107—174.

„Wir führten die Ursache jener Differenzen darauf zurück, daß Alexander trotz seiner Anbequemung an die in Aufnahme gekommene scholastisch-aristotelische Lehrweise doch nach seiner ganzen Denkweise zum guten Theile noch innerhalb des Kreises jener Anschauungen steht, die von den Mystiker — und Platonikern des zwölften Jahrhunderts vertreten waren . . . **In einem ähnlichen Verhältnis erblicken wir Bonaventura . . .**" S. 108.

[3]) Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters, Texte und Untersuchungen. Herausgegeben von Dr. Clemens Baeumker, Dr. Georg Freih. v. Hertling und Dr. Matthias Baumgartner. Band VI. Heft 4—5.

Dr. Eduard Lutz: Die Psychologie Bonaventuras, Münster 1909. I—VII. S. 1—216:

„Bonaventura ist Platoniker, er ist der große Schüler Augustins, er ist Mystiker . . ." S. 216.

„Wir können somit Bonaventura als den letzten großen Vertreter der hauptsächlichsten philosophischen Strömungen bezeichnen, welche bis zum 13. Jahrhundert vorherrschend waren, der dabei aber den Wert und die Bedeutung der einheitlicher in sich geschlossenen, neueindringenden aristotelischen Philosophie keineswegs verkennt." S. 4.

[4]) Roger Bacon Essays Contributed by various writers on the occasion of the commemoration of the seventh centenary of his Birth. Collected and edited by A. G. Little. Oxford 1914.

III. La place de Royer Bacon parmi les philosophes du VIIIe siècle. Par François Picavet. p. 55—88:

„A S. Bonaventure on doit une doctrine mystique et orthodoxe qui développe tout ce qui vient de Plotin et de S. Augustin, du Pseudo-Denys et des Victorins, de S. Bernard, des Byzantins, des Arabes et Juifs: l' Itinéraire de l' âme vers Dieu en est la partie essentielle." p. 70.

[5]) Hauréau, Histoire de la philosophie scholastique, p. II. t. 2. (Paris 1880) ch. XV. p. 5—25.

[6]) Stöckl, Lehrbuch der Ceschichte der Philosophie. Mainz 1888. S. 452—456: „Bonaventura ist vorzugsweise Mystiker." S. 452.

[7]) Georg Freiherr v. Hertling. Hist. Beiträge zur Philosophie, herausgegeben von Dr. J. A. Endres. (Kempten u. München 1914.) VII. Wissenschaftliche Richtungen und philosophische Probleme im dreizehnten Jahrhundert. S. 152—180.:

„Der Dominikanerorden war der Folgerzeit der vornehmste Träger des Aristotelismus, während die Franciskaner, seitdem Alexander von Hales auf der Höhe seines Ruhmes **sich ihnen angeschlossen hatte,** auf die alte Richtung eingeschworen waren." S. 159.

[8]) Mauritius de Wulf, Histoire de la Philosophie Médiévale (Quatrième édition Louvain-Paris 1912.) § 3. — Saint Bonaventure, n. 289. p. 372—373:

„Aussi la synthèse philosophique de Bonaventure est tout entière dans l' esprit

Primam harum opinionum omni carere veritatis fundamento sola scripta scholasticorum franciscanae scholae addictorum invincte demonstrant. Ipsemet Alexander Halensis omni umbra averroismi abhorret, praesertim agens de intellectu agente: „Intellectus agens . . . cum obviaverit formae in intelligibili, in phantasmate existenti, abstrahit eam, ut sit actu intellecta; et ex illa parte, qua nondum habet anima illas formas intelligibiles, dicitur intellectus possibilis.“ [1]) Eodem modo Joannes de Rupella se habet.[2]) S. Bonaventura[3]) et Duns-Scotus[4]) autem nominatim damnant errores Averrois et averroistarum latinorum. Neque eis contradicunt Rûgerius Bacon[5]) et Richardus a Mediavilla[6]) ceterique scholae franciscanae aureae aetatis scholastici.

De secunda opinione dico: 1° quod sensus ipsius, quo statuere nititur ante S. Thomam unice philosophiam augustinianam apud fere omnes praesertim apud scholasticos franciscanos ut Alexandrum Halensem et S. Bonaventuram viguisse, ad oppositum veritatis pergit, **quia omnium scholasticorum primus est Thomas de Eboraco** (de York), O. F. M., magister in universitate Exforidiensi (ab 1253.), mortuusque c. 1260.[7]),

---

conservateur de l' ancienne scolastique, dont il est un des derniers grands représentants. Augustinien, il l' est par inclination autant que par tradition; **mais de lui aussi il est vrai de dire que son augustinisme apparaît sur un fond d' idées péripatéticien** “

[1]) Alex. Halensis, S. p. 2. q. 69. a. 3. in corp. [Ed. Coloniae, sumptibus Joannis Gymnici, 1622].

[2]) Joannes de Rup., Summa de anima, c. 36. ait: „Causam dandi formam intelligibilem non est nisi intelligentia in effectu; mussario igitur est intellectus agens.“ (25. a P. Dominichelli, Prati 1882).

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 18. a. 2. q. 1. in corp.: „Alii autem aliter opinati sund, quod anima humana sive intellectualis, secundum quod intellectualis est, una est in omnibus hominibus, non solum quantum ad intellectum agentem, sed etiam quantum ad intellectum possibilem . . .

Quantumcumque autem hanc opinionem coloret, pessima est et haeretica. Est enim contra christianam religionem, dum aufert meritorum retributionem, quae non esset, si omnium anima una esset. — Est etiam contra rectam rationem. Planum est enim, quod anima intellectiva, ut intellectiva est, est perfectio hominis, secundum quod homo. Si ergo homines non sunt diversi solum, secundum quod animalia, sed secundum quod homines, non solum habent diversas imaginationes et animas sensibiles, immo etiam diversos intellectus et animas rationales“, etc. — Vide etiam II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 4 in corp. Averroistas vero adhuc acrius refutat in Collat. in Hexaëmeron, collat. VI. n. 2 seqq. de illis dicens: „Hi ergo ceciderunt in errores nec fuerunt divisi a tenebris; et isti sunt pessimi errores.“ n. 5.

[4]) Scotus, IV. Sent. d. 43. q. 2. n. 26.: „Error ei oppositus, qui proprius est, et solius Averrois, pessimus est, non tantum contra veritatem Theologiae, sed etiam contra veritatem Philosophiae; destruit etiam scientiam“ etc.; de Rerum principio, q. 9. a. 2. n. 12.

[5]) Rug. Bacon, Opus Maius (p. 2. c. 5.), p. 5. d. 6. c. 4.: „Et hoc iterum patet, quoniam species est similitudo rei corporalis et non spiritualis: ergo habebit esse corporale.“ etc. (Edit. Veneta 1750). — Beiträge z. G. d. Th. Supplementband 1913, Keicher, Der Intellectus agens b. R. Baco. 297—308.

[6]) Richardus a Med., II. Sent. d. 18. a. 2. q. 1. — Cfr. de his Ottonis Keicher, Zur Lehre der ältesten Franciskanertheologen vom „Intellectus agens“. — Abhandlungen aus dem Gebiete der Philosophie etc. zum 70. Geburtstag G. Freih. v. Hertling. — Freiburg i. Br. 1913. S. 173—182.

[7]) Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters von Clemens Baeumker, Supplementband, Münster c. 1913. Dr. Martin Grabmann, Die Metaphysik des Thomas von York († ca. 1260). S. 182. — P. H. Felder. O. Cap., Gesch. der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden, Freiburg 1904, S. 297—301.

qui vere unicam systematicam metaphysicam scholastico-aristotelicam conscripsit[1]); 2° quod contra philosophiam S. Bonaventurae dupliciter peccat: a) **per defectum** scilicet, nimis deprimendo in ea omnem influxum Aristotelis; b) **per excessum** quidem exagerando illum Platonis et Augustini.

Prima autem pars conclusionis demonstratur sequentibus argumentis, quibus simul probatum erit, quod S. Bonaventura non cognoscit metaphysicam aliam, nisi illam Aristotelis, quae est fundamentum omnium quaestionum philosophicarum.

Nam **eamdem** habet **notionem metaphysicae** ac Aristoteles[2]), eamdem notionem generis et differentiae[3]), possibilis et impossibilis[4]), materiae et formae[5]), motus[6]); eamdem notionem de primo motore: „Primus motor est immobilis omnino[7]). Omne quod movetur ab alio movetur[8]). Causa prima movet causatum primum[9]). Omnis motor est in actu respectu mobilis[10]). Omnis motor sufficiens distat a mobili“[11]). Negue

---

[1]) Dr. Martin Grabmann, Der Gegenwartswert der geschichtlichen Erforschung der mittelalterlichen Philosophie, Wien, Herder 1913, S. 8.: **„Es ist wirklich überraschend, wie solch umfassende ausgesprochen philosophische Werke, wie die Metaphysik des Franziskaners Thomas von York, die älteste und wohl einzige systematische Metaphysik der Scholastik, oder das Speculum divinorum et naturalium des dem großen Albertus nahestehenden Henri de Bade von Mecheln ungedruckt und unbekannt bleiben konnten.**

Dieselbe ist erhalten im Cod. Vat. lat. 4301 und im Cod. S. Croce 457 A 6 der Biblioteca nazionale in Florenz.“

„Thomas von York unterscheidet klar und deutlich zwischen der philosophischen Untersuchung: ‚De ente secundum quod est ens et his que sunt entis per re‘ und ‚De ente in speciali, de his, que subsunt enti‘ also zwischen den zwei Hauptteilen metaphysischer Betrachtung, **die wir allgemeine und spezielle Metaphysik nennen.**“ (Grabmann, Die Metaphysik des Thomas von York, S. 192.)

[2]) S. Bonaventura, Quaest, disput., de Perfec. evangel. q. 1. in corp. Metaphysica est „cognitio causarum altissimarum et primarum“; Arist., VI. Eth. c. 7; I. Metaph. c. 1. seqq. et III. text. 3. (II. c. 2.). Ed. latina, Venetiis 1532.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. q. 3. fund. 5.; d. 36. dub. 5.; Arist. VI. Topic. c. 3. (c. 6); Ed Acad. R. Borussicae, vol. I. Topikon Z 6. 143.a 29—36.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 12. a. 1. q. 1. ad opposit. 3; Ed. Acad. R. B. vol. II. To meta ta physica. G 5. 1009.a 32.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 12. a. 1. q. 1. fund. 4.; Arist., Physices acroaseos B. 2. 194.b 7—10.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent., d. 1. p. 1. a. 3. q. 3. ad oppos. 4.; Arist., Physices acroaseos G. 1. 201.a 8—11.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. ad oppos. 3.; Arist., VIII. Phys. text. 44. (c. 5.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. I. Physices acroaseos Th. 5. 256.a 19—21.

[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 2. fund. 1.; Arist., Physices 5. 256.b 15—20.

[9]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. ad oppos. 1.; Arist., De Caelo et Mundo, text. 36. (c. 6); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. I. peri uranu A. 6. 274.a 2—7.

[10]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 2. fund. 2.; Arist., VIII. Phys. text. 40. (c. 5.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. I. Physices acroaseos Th. 5. 256a —258.b

[11]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 2. fund. 3.; Arist., VIII. Phys. text. 28. (c. 4.); text. 86. (c. 10.); Ed. Acad. R. B., vol. I. Physices Th. 4. 254.b 33; 10. 267.b. 23—26.

differunt in modo definiendi causam in genere: „Causa est cuius esse sequitur aliud“ [1]); neque diversimode exhibent notionem causae primae et secundae[2]); neque discordant in explanatione causae materialis[8]), formalis[4]), efficientis[5]) et finalis[6]). Immo conveniunt in definitione potentiae et actus[7]), de modo agendi[8]), de modo generandi et corrumpendi[9]). Conveniunt in definitione naturae: „Natura est principium motus et quietis in eo, in quo est“ [10]); in notificatione principii naturae[11]), animae[12]), in modo cognitionis animae[13]). Eodem modo definiunt universale[14]), substantiam[15]) et accidens[16]). Eodem modo concipiunt tempus[17]), bonum[18]), malitiam[19]) etc.

Si non haberemus alias quaestiones adhuc ibi dirimendas, possemus non sine magna utilitate totam doctrinam fundamentalem Aristotelis solis scriptis S. Bonaventurae reconstruere. Quibus rationibus demonstratur quod S. Doctor non cognoscit metaphysicam aliam, nisi illam Aristotelis. Platonem solummodo in omnibus suis operibus viginti

---

1) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 1. q. 1. fund. 3.; Arist., II. Phys. text. 28—38. (c. 3.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. I. physices acroaseos B. 3. 195.a 18 et 19.

2) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. in corp.; Arist., VII. Moral. Eudem, c. 18. (c. 14.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. II. Ethicon Eude mion H. 14. 1248.b 3—6.

3) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. q. 2. ad 3.; Arist., ton meta ta physica Z. 3. 1029a 20—25.

4) S. Bonaventura, III. Sent. d. 36. q. 6. ad 3.; H. Ritter et Preller, Hist. Philos. Graecae. Gotha 1913. Aristoteles, Prima philosophia. p. 317 d.

5) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 2. a. 1. q. 1. ad oppos. 1.; Arist., II. de Gener. et corrup. text. 56. (c. 10.); peri geneseos Kai phthoras B. 10. 336a 27 et 28.

6) S. Bonaventura, II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. in corp.; Arist., ton meta ta physica 2. 1013.b 25—27.

7) S. Bonaventura, I. Sent. d. 42. a. unicus. q. 2. in corp.; Arist., V. Metaph. text. 17. (IV. c. 12.); Ed. Acad. R. B. vol. II. ton meta ta physica D. 12. 1020.a 1—5.

8) S. Bonaventura, I. Sent. d. 2. a. unicus. q. 4. fund. 2.; Arist., Physices 5. 196.b 17—23.

9) S. Bonaventura, I. Sent. d. 5. a. 2. q. 1.; Arist.; II. de Anima. text. 34. (c. 4.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. I. peri psyches B. 4. 415a 20—30.

10) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. t. a. 3. q. 2. ad oppos. 1.; Arist.. Physices I. 192.b 20—23.

11) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. ad oppos. 3.; Arist., ton meta ta physica Z. 8. 1033.b 30.

12) S. Bonaventura, II, Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. fund. 5.; Arist., II. de Anima, text. 24. (c. 2.); Ed. Academiae R. Borussicae, vol. I. peri psyches B. 2. 414.a 12.

13) S. Bonaventura, I. Sent. d. 3. p. 1. a. unicus. q. 2. fund. 3.; Arist., III. de Anima. text. 39. (c. 8.); Ed. Acad. R. Borus., vol. I. peri psyches 8. 431.b 1.

14) S. Bonaventura, II. Sent. d. 18. a. 1. q. 3. fund. 2. et 3.; Arist., Periherm. c. 5. (c. 7.); Ed. Acad. R. Borus., peri Hermeneias 7. 17.a 39.

15) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 12. p. 1. a. 1. q. 1. ad oppos. 1.; Arist., II. de Anima, text. 2. (c. 1.); Aristoteles, graece. Ed. Acad. R. Borussicae, ex recensione J. Bekkeri, Berolini apud Georgium Reimerum A. 1831. peri psyches A. 1, 402.a 13.

16) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 12. p. 1. a. 2. q. 2. ad 3.; Arist., I. Topic. c. 6. (c. 5.); Topikon A. 5. 102.b 4—8.

17) S. Bonaventura, H. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. ad opposit. 4.; Arist., physices D. 11. 219.b 1—2.

18) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. in corp.; Arist., V. Metaph. text. 3 (IV. c. 2); Ed. A. B. vol. III. Metaphys. IV., 2. 496.b 26.

19) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. in corp.; Arist., II. Eth. c. 6; Ethicon Nic. B. 6. 1107.a 8—14.

quatuor vicibus citat[1]), Aristotelem vero in omni fere pagina[2]). Etsi quaedam problemata eorumgue fundamentales solutiones (ut in quaestionibus de Dei natura, de creatione, de animae immortalitate etc.) ex S. Augustino assumpserit, hoc tamen non eo usque fecit, (sicuti postea claris ipsius S. Bonaventurae verbis probabimus), quod Aristoteli plane adversaretur. Imo nec in iis problematibus solvendis peripateticam philosophiam dereliquisse ex eo constat iam quod ipsam S. Augustini doctrinam in pluribus locis[3]) aristotelico modo potius quam platonico interpretatus est. Totus in illo fuit, ut veritati fidei et traditioni catholicae ex animo adhaerens, Aristotelem, quem summe ut philosophum veneratus est, partim corrigeret partim compleret, ubi videbatur ipsi veritati catholicae adversari.

Philosophia, non quaelibet, sed peripatetica, substernit ei proprias cognitiones theologiae ad declarandas veritates revelatas: „Philosophia quidem agit de rebus, ut sunt in natura, seu in anima secundum notitiam naturaliter insitam, vel etiam acquisitam; sed theologia, tanquam scientia supra fidem fundata et per Spiritum sanctum revelata, agit et de eis quae spectant ad gratiam et gloriam et etiam ad Sapientiam aeternam. **Unde ipsa, substernens sibi philosophicam cognitionem et assumens de naturis rerum, quantum sibiopus est ad fabricandum speculum, per quod fiat repraesentatio divinorum**“[4]).

En quantum veritatis in se continet Portalié dicentis scholasticos ante S. Thomam nescivisse distinctionem formalem inter philosophiam et theologiam, inter veritates ordinis, naturalis et supernaturalis, inter naturam et gratiam!

Quod S. Bonaventura re vera praefert philosophiam Aristotelis Platoni, et non inverso modo ut Portalié supra statuit, audiatur ab ipso S. Doctore: „**Unde quia Plato totam cognitionem certitudinalem convertit ad mundum intelligibilem sive idealem, ideo merito reprehensus fuit ab Aristotele [I. Metaph. text. 25, seqq. (c. 9.) et XIII. c. 4 seq. (XII. c. 4. seqq.)]; non quia male diceret, ideas esse et acternas rationes, cum eum in hoc laudet Augustinus [de Civ. Dei. l. VIII. c. 6. et Qq. q. 46.]; sed quia, duspecto mundo sensibili, totam certitudinem cognitionis reducere voluit ad illas ideas; et hoc ponendo, licet videretur stabilire viam sapientiae, quae procedit secundum rationes aeternas, destruebat tamen viam scientiae, quae procedit secundum rationes creatas . . ., quia nostrum intelligere secundum statum viae non est sine phantasmate . . . Unde . . . indubitanter tamen verum est, secundum quod dicit Philosophus [II. Poster. c. 18. (c. 15.) et I. Metaph. c. 1.] cognitionem generari in nobis via sensus, memoriae et experientiae,** ex quibus colligitur universale in **nobis quod est principium** artis et scientiae“[5]).

[1]) S. Bonaventura, Tom. X. Index loc. SS. Patrum p. 276. Plato.

[2]) S. Bonaventura, Tom. X. Index loc. SS. Patrum p. 266. Aristoteles.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. in corp. videas v. gr. quomodo explicat rationes seminales in formatione Evae de costa Adae.

[4]) S. Bonaventura, Brevil. Prolog. § 3.

[5]) S. Bonaventura, Sermones selecti de Rebus theol., Sermo IV. n. 18. (t. V. p. 572.). Cfr. P. M. da Civezza O. M., Della vera filosofia etc. Genova 1874. cap. X. p. 212—242.

S. Bonaventura sequens Aristotelem vivide delineat modum, quo hoc in nobis fit: „**Species** autem et **similitudines rerum** acquiruntur in nobis mediante sensu, sicut expresse dicit Philosophus in multis locis [I. Poster. c. 14. (c. 18.); II. c. 18. (c. 15.); III. de Anima, text. 39. (c. 8.); I. Metaph. c. 1.; S. Bonav. etiam II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 4. et. 25. p. 2. q. 6.]; et hoc experientia docet. Nemo enim unquam cognosceret **totum**, aut **partem**, aut **patrem**, aut **matrem**, nisi sensu ali quo exteriori speciem eius acciperet; et hinc est, quod amittentes unum sensum necesse habemus unam scientiam amittere «[Arist., I. Poster. c. 14. (c. 18.) . . .] Unde si aliquando dicat Philosophus [de Sensu et sens. c. 6.], quod »nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu« et quod »omnis cognitio habet ortum a sensu«; intelligendum est de illis quae quidem habent esse in anima per similitudinem abstractam; et dicuntur esse in anima ad modum scripturae. Et propterea valde notabiliter dicit Philosophus [III. de Anima, text. 14. (c. 4.)], quod in anima nihil scriptum est, non quia nulla sit in ea notitia, sed quia nulla est in ea pictura vel similitudo abstracta“[1]).

Huic theoriae peripateticae cognitionis S. Bonaventura tantum valoris praestitit, ut eâ innixus **formaliter distingueret naturam variarum scientiarum earumque obiectum et ambitum**: „Nam cum res, inquit, habeant esse in materia, habeant esse in anima per notitiam acquisitam, habeant etiam esse in ea per gratiam, habeant esse in ea per gloriam et habeant esse in arte aeterna.“[2]) Qua ex divisione formali „tu“ esse scientiarum S. Doctor porro eruit diversum earumdem lumen cognitionis: „lumen exterius, scilicet lumen artis mechanicae [sive ingeniosae]; lumen inferius, scilicet lumen cognitionis sensitivae; lumen interius, scilicet lumen cognitionis philosophicae; lumen superius, scilicet lumen gratiae et sacrae Scripturae“[3]). Primum quidem lumen illuminat: „respectu figurae artificialis, secundum respectu formae naturalis, tertium respectu veritatis intellectualis, quartum et ultimum respectu veritatis salutaris“[4]).

Ad primam speciem luminis reducit septem artes mechanicas: „Lanificium, armatura, agricultura, venatio, navigatio, medicina, theatrica . . ., quae quasi exterius sunt et propter corporis indigentiam repertae . . ., quoniam omnis ars mechanica aut est ad solatium, aut ad commodum; aut . . . ad excludendam tristitiam, aut indigentiam; . . . aut prodest, aut delectat“[5]).

Ad secundam speciem luminis refert scientias, quae ambitum sensuum proprie comprehendunt: in visu: optica; in auditu: acustica;

---

1) S. Bonaventura, II. Sent. d. 39. a. 1. q. 2. in corp.
2) „ „ , Brevil. Prolog. § 3.
3) „ „ , De Reductione artium ad theol. n. 1.; (t. V. p. 319.)
4) „ „ , „ „ „ „ „ „ 1.; (t. V. p. 319.)
5) „ „ , „ „ „ „ „ „ 1.; (t. V. p. 319.) In hac divisione singularum artium S. Bonav. secutus est Aristotelem et Hugonem a S. Victore, Erud. didascalicae l. septem, II. c. 21—29. [Migne, P. L. t. 176, col. 760—763.]

in odoratu: olphatica; in gustu et tactu scientiae experimentalis physiologicae[1]).

Ad tertiam speciem luminis ordinat philosophiam, seu cognitionem altissimam secundum ultimas rerum causas, quam praeeunte Aristotele prae primis dividit in theorethicam et practicam, quia „non tantum de veritate morum, verum etiam agit de vero nuda speculatione considerato"[2]). Deinde respectu habito ad causam efficientem, formalem sive exemplarem finalemque rursus eam dividit in physicam, logicam moralemve, quippe „ad cognoscendas causas essendi, et sic est physica; aut rationes intelligendi, et sic est logica; aut ordinem vivendi, et sic est logica; aut ordinem vivendi, et sic est moralis"[3]). In ordine ad intellectum dividit in moralem „in quantum regit motivam"; in naturalem „in quantum regit se ipsam"; et in sermocinalem „in quantum regit interpretativam"[4]).

Ad quartam denique speciem luminis adducit scientias theologicas, quae ordinem supernaturalem concernunt. Hoc lumen maxime sacram Scripturam et theologiam complectitur[5]).

Sacra Scriptura est „in qua verba sunt vitae aeternae [Joan. 6, 69; 20, 31.], quae ideo scripta est, non solum ut credamus, verum etiam ut vitam possideamus aeternam, in qua quidem videbimus, amabimus, et universaliter nostra desideria implebuntur"[6]) Interpretatio sacrae Scripturae pertinet ad exegesim[7]). In expositione eiusdem secundum quasnam regulas procedendum esse hermeuentica sacra demonstrat[8]).

Theologia vero est „scientia super fidem fundata, [quae] agit et de eis quae spectant ad gratiam et gloriam et etiam ad Sapientiam aeternam[9]). Ipsa sola est scientia perfecta, quia incipit a primo, quod est primum principium, et pervenit ad ultimum, quod est praemium aeternum; incipit a summo, quod est Deus altissimus, creator omnium et pervenit ad infimum, quod est infernale supplicium"[10]).

„Ipsa etiam sola est sapientia perfecta, quae incipit a causa summa, ut est principium causatorum, ubi terminatur cognitio philosophica"[11]). De Wulff errat cum dicit: distinctionem

---

[1]) S. Bonaventura, De Reductione artium ad theol. n. 2 et 3. (t. V. p. 320). Cfr. Dr. F. C. Eterović, R. Bacon, Enciklopedista, Naša Misao, Period. Francisc. Sarajevi 1915. Nm. 8—10. p. 127—137.

[2]) S. Bonaventura, Brevil. Prolog. § 1. — Cfr. Arist., II. Metaph. text. 3, et II Eth. c. 1.

[3]) S. Bonaventura, De Reductione artium ad theologiam, n. 4. (t. V. p. 320.)

[4]) „ „ „ „ „ „ „ „ n. 4. (t. V. p. 320.)

[5]) „ „ „ In Hexaemeron Collat. IV. n. 21—25.

[6]) „ „ „ Brevil. Prolog. § 3.; (t. V. p. 202.)

[7]) „ „ „ De Reductione artium ad theol. n. 5.; (t. V. p. 321.)

[8]) „ „ „ Brevil. Prolog. § 6.; (t. V. p. 207 et 208).

[9]) „ „ „ „ „ § 3.; (t. V. p. 205.)

[10]) „ „ „ „ p. 1 .c. 1.; t. V. p. 210.). Cfr. P. Marcellius da Civezza, O. M., Della vera filosofia c della dottrine filosofiche del serafico Dottor S. Bonaventura, Genova 1874. cap. XIV. p. 404 et seqq.

[11]) S. Bonaventura, Brevil. p. 1. c. 1.

definitivam theologiae a philosophia et systema earumdem relationum ante S. Thomam scientifice exhibitos non esse![1])

„Ex his patet, quod licet theologia sit de tot et tam variis, est tamen s c i e n t i a u n a, cuius subiectum, ut a q u o omnia, est Deus; ut p e r q u o d omnia, Christus; ut a d q u o d omnia, opus reparationis; ut c i r c a q u o d omnia, unicum caritatis vinculum, quo caelestia et terrestria connectuntur; ut d e q u o omnia in libris canonicis comprehensa, credibile u t c r e d i b i l e; ut d e q u o omnia in libris expositorum, credibile ut i n t e l l i g i b i l e, secundum Augustinum, de Utilitate credendi [c. 11. n. 25.] quia quod credimus, debemus auctoritati, quod intelligimus rationi"[2]). Theologia proinde ut doctrina sacra principaliter agit: „De primo principio, scilicet de Deo trino et uno . . .; secundo, de creatura mundi; tertio, de corruptella peccati; quarto, de incarnatione Verbi; quinto, de gratia Spiritus sancti; sexto, de medicina sacramentali, et septimo, de statu finalis iudicii"[3]).

Cum Deus sit causa efficiens, formalis sive exemplaris et finalis; omnium creaturarum[4]), consequenter via, veritas et vita[5]) theologia dividi potest in dogmaticam, moralem et medicinalem sive sacramentalem. Prima enim agit de rebus fidei; secunda vero de moribus tertia denique componit mores humanos cum doctrina fidei per media supernaturalia sacramentorum novae Legis[6]). Sed fides ex auditu est. ergo oportet praedicare verbum Dei. Ars exinde quae docet movere „per sermonem ornatum"[7]) ad res fidei, vocatur rhetorica sacra. Illa autem pars theologiae, quae agit de consiliis, ut probet homo, quae sit voluntas Dei bona et beneplacens et perfecta [Rom. 12, 2.], et quae ducit eum ad unionem cum Deo in vinculo caritatis maioris, appellatur ascesis[8]). Quae adhuc tendit „per gemitum compuctionis et pietatis, per contemptum omnem terrenitatis, per desiderium patriae caelestis et ipsius dilecti"[9]), nuncupatur mystica.

His enim dictis terminamus primam partem conclusionis contra eos qui nimis deprimunt influxum Aristotelis apud S. Bonaventuram inferendo exinde, quod S. Doctor non sit purus augustinianus in rebus philosophicis, sed e contra ut bonus peripateticus manifestatur. Ratio est, quia, ut supra demonstravimus, non callet nisi metaphysicam Aristotelis, cuius ceteraque philosophica placita sequitur sive in theoria cognitionis sive in divisione determinationeque scientiarum sive in aliis, ut infra melius patebit, rebus.

---

[1]) De Wulf, Histoire de la Phil. Médiévale, éd.4. (Louvain-Paris 1912). p. 321 en note: „La distinction définitive de la théologie et de la philosophie et le système de leurs rapports ne sont pas formulés scientifiquement avant S. Thomas."

[2]) S. Bonaventura, Brevil. p. 1. c. 1.
[3]) „ „ , Brevil. Prolog. § 6.
[4]) „ „ , Itiner, mentis in Deum, c. 5. n. 7.
[5]) „ „ , Quaest. disp. de Perfect. evangelica, q. 1. in corp.; Joan. 14, 6.
[6]) „ „ , Brevil. p. 6. c. 1.
[7]) „ „ , De Reduct. artium ad theol. n. 4.
[8]) „ „ , „ „ „ „ „ n. 24.
[9]) „ „ , „ „ „ „ „ n. 22.

Postremo, sedulo mihi advertendum est, quod, non sufficienter operam danti operibus S. Bonaventurae, potest faciliter error subripi, praesertim si antea multum S. Thomam legerit, quippe hic Sanctus semper conservat terminologiam constantem et stricte philosophicam, dum S. Bonaventura de illa praesertim in posterioribus operibus non tantum curat, sed potius tendit ipsam doctrinam philosophicam Aristotelis terminis propriis ac vulgaribus vestire atque exprimere, quod apud eum, qui sensum ipsius satis non cognoscit, potest fallaciam faciliter introducere.

Altera ex parte Ehrle, Portalié ceterique sequaces eorum peccant per excessum, nempe exagerando elementum Platonis et Augustini in rebus philosophicis apud S. Bonaventuram. Et haec probabimus in hac secunda parte conclusionis.

Ante omnia dicendum est, quod S. Bonaventura sibi praefixit finem quaerendi veritatem, non autem systema. Cum autem, ut sibi persuasum est, certe putavisset eam in philosophia Aristotelis adesse, omnia ipsius vera principia philosophica sibi appropriavit interpretando ampliando, locupletando ea novis rationibus et doctrinis, quae minime alienae esse a mente Aristotelis videntur. Itaque cum Aristoteles non docuerit quomodo res se habent in Deo, nec sermonem proprium instituerit de vita, ideis exemplaribus, attributis etc. Dei, S. Bonaventura a Platone et Augustino in his adiutus, perfecit ea quae apud Aristotelem manca incompleta apparebant. Nec haec compositio et concordia inter illos si, ut in se contradictoria, arridebat, dummodo rite intelligeretur, quia, ut ipse testificatur: „Inter philosophos datus est Platoni sermo sapientiae, Aristoteli vero sermo scientiae. Ille enim principaliter aspiciebat ad superiora, hic vero principaliter ad inferiora.“ [1] Sed sapientia non repugnat scientiae, nec scientia, sapientiae contradicit. Ergo talia Aristotelis philosophiae superaddere minime putavit se corrumpere doctrinam peripateticam, sed eam perficere.

Semel admissa doctrina Platonis de vita et ideis exemplaribus Dei a S. Augustino correcta, S. Bonaventura, ut philosophus peripateticus christianus non haesitat ab eodem Sancto sibi assumere doctrinam de creatione sine intermedio, de providentia divina, de gubernatione, conservatione et concursu Dei in causas secundas, quem tamen theoriâ motus Aristotelis explicat, de malo, de immaterialitate animae, de fine hominis, de lege aeterna, de quibus Aristeteles in suis scriptis plerumque nihil desseruit. His enim ideis ditari philosophiam perennem Aristotelis, putavit, esse necessarium, neque eiusdem Aristotelis principiis philosophicis contradicere, quia: „Uterque autem sermo, scilicet sapientiae et scientiae, per Spiritum sanctum datus est Augustino,“ [2] qui pulcherrime utrumque philosophum composuit, et magnum progressum utilitatemque philosophiae christianae subministravit, quod postea scholastici aureae aetatis pressius sequentes Aristotelem in

---

[1] S. Bonaventura, Sermones selecti de Rebus theol. Sermo IV. n. 18; (tom. V. p. 572).

[2] S. Bonaventura, Sermones selecti de Rebus theol. Sermo IV. n. 19.; (tom. V. p. 572.)

admirabile sublimeque aedificium scientificum magis evolvendo aedificarunt.[1])

S. Bonaventura sequeretur etiam in theoria creationis Aristotelem, si apud eum talem doctrinam invenisset; sed cum ea philosophis paganis plerumque latebat et Augustinus primus, sicut oportet, eam evolvit, secutus est eum, non tamen absque ratione, sicut ipse scribsit in epistola de tribus quaestionibus ad Magistrum artium innominatum: „Unde si velimus nimis stricte iudicare, fortasse ipsos Sanctos, quod impium est, iudicabimus curioses. Nam nullus melius naturam temporis et materiae describit quam Augustinus, inquirendo et disputando in libro Confessionum (l. XI. c. 14. n. 17 seqq. et l. XII. c. 3. n. 3 seqq.]; nullus melius ortum formarum et propaginem rerum quam ipse super Genesim ad litteram [l. V. c. 23. n. 44. seq; VI. c. 10. n. 17—19; c. 14. n. 25. seqq.; IX. c. 17. n. 32. Cfr. Bonav., II. Sent. d. 7. p. 2. a. 2. q. 1. et d. 18. a. 1. q. 2.]; nullus melius quaestiones de anima et de Deo quam ipse in libro de Trinitate [l. V. et IX seqq.]; nullus melius naturam creationis mundi quam idem in libro de Civitate Dei [l. XI et XII.]."[2]) Ergo S. Bonaventura sequens in nonnullis quaestionibus S. Augustinum, minime desiit esse peripateticus, quia tota ipsius basis philosophica est illa Aristotelis, quae per se quaerit ulteriorem

[1]) Cfr. **Georg Freiherr v. Hertling.** Historische Beiträge zur Philosophie. herausgegeben von Dr. J. A. Endres. Kempten und München 1914. — IV **Augustinus-Zitate bei Thomas von Aquin,** ubi demonstrat quemnam influxum S. Thomas ab Augustino subiit. et p. 109 et 110 enumerat tales res: **„Mit Augustinus lehrt Thomas, daß in Gott Sein und Denken zusammenfallen, daß das göttliche Denken kein diskursives, sondern ein simultanes und stetiges ist . . ., von ihm übernimmt er die christlich gewendete Ideenlehre. Mit ihm lehrt er, daß ein Schaffen aus Nichts allein Gott zukommen könne, daß sich Gott bei der Gestaltung der Dinge keiner Zwischenwesen bedient habe, daß auch die materia prima von Gott geschaffen sei . . . Mit seinen Worten lehrt er, daß die Welterhaltung nichts andres ist, als eine fortgesetzte Weltschöpfung; was er über Weltregierung und die Unterbrechung des regelmäßigen Naturlaufs durch das Wunder, was er über Wesen und Ursprung des Uebels zu sagen weiß, stützt sich auf Augustins grundlegende Erörterungen. Nicht minder folgt er ihm in der Lehre von der Subsistenz, Immaterialität und Gottebenbildlichkeit der menschlichen Seele . . . Von ihm übernimmt er dagegen wieder die Formel, welche das Verhältnis von Seele und Leib ausdrücken soll, daß sie nämlich ganz im Ganzen und in jedem seiner Teile sei. Auf Augustinus stützt er sich, wo er beweisen will, daß der Intellekt dann, wenn er sich auf sein eigentliches Objekt, die quidditas rei, richtet, niemals falsch sein könne . . . Augustin ist sein Führer, wenn er lehrt, daß es für den Willen des Menschen ein letztes Ziel gebe, einen obersten Endzweck . . ., daß auf dieses Ziel, das höchste Gut, die Glückseligkeit, der Wille mit Notwendigkeit hingerichtet ist . . . Augustinus ist endlich Führer in den grundlegenden Bestimmungen auf dem ethischen Gebiete. Die Lehre von der lex aeterna, dem ewigen Weltgesetz, welches zugleich die Norm für die Ordnung des Menschenlebens enthält . . . Mit ihm erblickt er den Sitz des moralisch Guten und Bösen im Willen des Menschen und den Maßstab dafür im Verhältnis des Willens zur lex aeterna," etc. His non obstantibus pro Ehrle, fundatore criticae augustinismi, nec non pro ipsius sequacibus ut Portalié etc., S. Thomas est purus peripateticus, dum S. Bonaventuram ut impanationem augustinismi vilis ab eis considerati, sumunt. Nescio ubinam adhuc pervenient? Praevideo tamen hanc theoriam criticam non bonas consequentias habituram esse.**

[2]) S. Bonaventura, Opusc. 12. Epist. de tribus quaest. n. 12; (tom. VIII. p. 335.)

perfectionem praesertim in doctrina de Deo, de relationibus entis contingentis ad ens a se, de quibus Aristoteles, pauca dixit, et quae Augustinus ope Platonis mirifice evolvit. Proinde S. Doctor non est purus augustinianus, ut Ehrle, Portalié eorumque sequaces somniarunt, sed habet re vera sermonem scientiae et sapientiae, sine quibus peripatetismus christianus persistere non potest.

Ad tertiam opinionem autem respondendum est, quod nimis campum S. Bonaventurae coartat nec sufficienter ipsius opera doctrinamque cognoscit. Nam ex quadraginta sex operibus ipsius genuinis et novem dubiis, adsuunt solummodo quatuor proprie dicta opera mystica et quintum est incertum.[1]) Quonam igitur iure dicitur S. Bonaventura esse unice mysticus, vel elementum mysticae christianae apud ipsum praevalere? Sciendum enim est S. Bonaventuram non esse solum mysticum, sed etiam theologum et philosophum. Certum est, ipsum clare scientias earumque limites distinxisse atque mysticam constituere partem theologiae statuisse, quae simul sumptae sub lumine fidei vel ordinis supernaturalis res considerant. Quare igitur Werner et Lutz ex professo agentes de psychologia naturali S. Bonaventurae, mysticam ipsius Doctoris doctrinam ad campum psychologicum naturalem attrahunt, et naturalis ordinis faciunt, quando re vera in se non est? Non bene ad hoc attendentes, puto, causam fuisse erroris eorum, cur ut psychologi naturales de S. Bonaventura dixerunt: **mysticum esse.** De Jourdain et Picavet non interest mihi aliquid singillatim dicere, sed tantum verba Palhoriés ad eos dirigere, quod apud ipsos: „monachus franciscanus plus minusve incognitus remansit — et consequenter oblitus — ut theologus et ut philosophus."[2])

Quarta opinio accedit ad veritatem iudicii, sed nondum possidet eam, quippe eidem specialia profundioraque studia circa S. Bonaventuram desunt.

His enim absolutis, credo, licitum mihi esse ex rationibus in corpore huius capitis allatis demonstratisque, quantum fieri poterat, concludere: S. Bonaventuram re vera **peripateticorum scholae adhaerere.**[3])

[1]) Cfr. supra Introductionem in S. Bonav. opus. p. IV.

[2]) Ad honorem servit Dr. Palhoriès, quod synopsim doctrinae S. Bonaventurae scivit bene et sat obiective referre, cuius opus, ut legatur, commendo, ac inscribitur: Saint Bonaventure par G. Pathoriès, Paris 1913. Bloud 7, Place Saint-Sulpice I—VI; 1—378. L. c. p. I.: „Le moine franciscain est resté plus ou moins inconnu — et, par conséquent, méconnu — comme théologien et comme philosophe."

Tertiam opinionem relicit et P. M. da Civezza, scribens: „Di certo noi non diremo, come alcuni han fatto a dileggio, che San Bonaventura fosse pinttosto un mistico che un filosofo," etc. v. Della vera filosofia et delle dottrine filosofiche del seraphico dottor S. Bonaventura, Genova 1874. cap. X. p. 233 et seq.

[3]) Felder, Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden. S. 447—546 (Freiburg i. Br. 1904).

Caput III.

Quomodo se habeat in expositione scholastica?

S. Bonaventura postquam quatuor conditiones, ad omne studium rite obeundum, exercendas statuit, scilicet observationem ordinis, assiduitatis, complacentiae, commensurationis sive sobrietatis[1]), in rerum natura ei occurrunt „quatuor genera scripturarum, circa quae oportet ordinate exerceri. Primi libri sunt sacrae Scripturae. Secundi libri sunt originalia Sanctorum; tertii, Sententiae magistrorum; quarti, doctrinarum mundalium sive philosophorum.“[2])

Ad vere cognoscendam effigiem S. Bonaventurae scientificam quomodo se gerit erga has quatuor species scripturarum, unaquaeque carum speciatim consideranda est cum ipsius relatione ad ipsam praemissa.

§ 1. De S. Bonaventurae relatione ad sacram Scripturam.

Seraphicus Doctor in primis de sacra Scriptura ait, quod est „notitia movens ad bonum et revocans a malo“[3]), quae suam originem ducit „non per humanam investigationem, sed per divinam revelationem.“[4]) Aliis verbis Deus est auctor sacrae Scripturae. Finis autem ipsius est praestare „homini viatori notitiam rerum sufficientem, secundum quod expedit ad salutem . . . Et sic describit totum universum, quantum expedit de ipso habere notitiam ad salutem.“[5])

„Et quia quadrupliciter potest quis moveri ad bonum et revocari a malo, scilicet per praecepta potentissimae maiestatis, vel per documenta sapientissimae veritatis, vel per exempla et beneficia innocentissimae bonitatis, vel ex his omnibus in unum collectis; ideo tam in novo quam in veteri testamento sunt quadriformiter traditi libri continentes sacram Scripturam secundum corrispondentiam ad quatuor praemissa. Nam libri legales et evangelici, movent per praecepta maiestatis omnipotentissimae; historiales et Actus apostolorum, per exempla bonitatis innocentissimae; sapientiales et Epistolae Apostolorum, per documenta veritatis providentissimae; prophetales movent ex omnium praedictorum aggregatione, sicut manifeste in eis apparet.“[6])

Obiectum sacrae Scripturae est ipsa doctrina „de Deo, de Christo, de operibus reparationis et de credibili.“[7])

„Subiectum enim illius, inquit, quoad substantiam Deus est; quoad virtutem, Christus; quoad operationem, reparationis opus.; quoad omnia haec est ipsum credibile.“[8])

1) S. Bonaventura, In Hexaëmeron Collat. XIX. n. 6.
2) „ „ „ „ „ „ XIX. n. 6.
3) „ „ , Brevil. Prolog. § 1.
4) „ „ „ „ „ ; (tom. V. p. 201.).
5) „ „ „ „ „ ; (tom. V. p. 201 et 202.)
6) „ „ „ „ „ § 1.
7) „ „ „ „ „ § 4.
8) „ „ „ „ „ § 4.

Sacra Scriptura ideo differt a philosophia ceterisque scientiis: tum lumine, tum subiecto, obiecto atque fine[1]), Progressus eiusdem „non est coarctatus ad leges ratiocinationum, definitionum et divisionum iuxta morem aliarum scientiarum et non est coarctatus ad universitatis [seu universalium: Aristot. I. Poster. c. 7 seqq. et VI. Metaph. text. 1. seqq. (V. c. 1.)], sed potius cum lumen supernaturale procedat ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem secundum quod expedit ad salutem."[2]) Ob eam causam commutari eam cum philosophia, maximum significaret periculum[3]) pro aeducatione et salute generis humani. Propterea: „Sacra Scriptura in magna reverentia habenda est", concludit[5]), utpote Deum habet auctorem et infallibilis est.[4])

Porro sacra Scriptura propter suam profunditatem, quae consistit in multiplicitate mysticarum intelligentiarum „praeter litteralem sensum habet in diversis locis exponi tripliciter, scilicet allegorice, moraliter et anagogice. Est autem allegoria, quando per unum factum indicatur aliud factum, secundum quod credendum est. Tropologia sive moralitas est, quando per id quod factum est, datur intelligi aliud, quod faciendum est. Anagogia, quasi sursum ductio est, quando datur intelligi illud quod desiderandum est, scilicet aeterna felicitas."[6])

Nihilominus interpres sacrae Scripturae „primo debet studere, inquit, in textu et ipsum habere in promptu et intelligere, quid dicitur per nomen"[7]), aliis verbis quaerere sensum litteralem; quo semper in suis commentariis functus est.[8])

§ 2. De S. Bonaventurae habitu ad S. Patres.

Ut Christi discipulus bene intelligat sacram Scripturam, S. Bonaventura comittet ei legere „originalia Sanctorum, ut Augustini, Hieronymi et aliorum."[9])

---

[1]) S. Bonaventura, Brevil. Prolog. in initio.

[2]) „ „ „ „ „ „

[3]) S. Bonaventura praedicans sollemnes orationes anno 1273 Parisiis coram Magistris universitatis tempore hiemali, quarum titulus est: In Hexaëmeron collationes. Cum illa aetate multi Magistri saeculares artium philosophiâ abuterentur, parvi pretii sacram Scripturam existimantes eos paululum severius allocutus est: „Unde magistri cavere debent, ne nimis commendent et appretientur dicta philosophorum" etc., quia hoc sensu „descendere autem ad philosophiam est maximum periculum, quippe „apud philosophos non est scientia ad dandam remissionem peccatorum". Collat. XIX. n. 12. et n. 7. Hoc bene retinendum est, quia nonnulli recentiores non studendo S. Bonaventuram, sed solummodo eum per transennam adspiciendo, dixerunt quod S. Doctor philosophiam damnet!

[4]) S. Bonaventura, In Hexaemeron Collat. XIX. n. 11.

[5]) S. Bonaventura, Brevil. Proleg. in initio.

[6]) „ „ „ „ „ § 4.; de Reductione artium ad theol. n. 5.

[7]) „ „ „ In Hexaëmeron Collat. XIX. n. 7; Aristot., II. Poster. c. 7 et c. 10 (c. 9.).

[8]) R. Cornely S. J., Historicae et criticae Introductionis in U. T. libros sacros compendium, ed.[6] recognita et completa a M. Hagen S. J. Parisiis 1909. c. 4. n. 205 p. 162. falso modo iudicat de exegesi S. Bonaventurae, cum dicit: „S. Bonaventura ad practicum piumque potius quam ad scientificum Scripturarum usum in suis commentariis attendit."

[9]) S. Bonaventura, In Hexaëmeron, Collat XIX. n. 10.

Sacra Scriptura haec tria docet „scilicet Christi aeternam generationem et incarnationem, vivendi ordinem et Dei et animae unionem. Primum respicit fidem, secundum mores, tertium finem utriusque. Circa primum insudare debet studium doctorum, circa secundum studium praedicatorum, circa tertium studium contemplativorum. Primum maxime docet Augustinus, secundum maxime docet Gregorius, tertium vero docet Dionysius. — Anselmus sequitur Augustinum, Bernardus sequitur Gregorium, Richardus sequitur Dionysium, quia Anselmus in ratiocinatione, Bernardus in praedicatione, Richardus in contemplatione. — Hugo vero omnia haec, id est omnes tres sequitur.“ [1])

Proinde „firmitas fidei est ex testificantium concordia plena, quae est in tribus: in eloquiis Scripturarum, in decretis Conciliorum, in documentis Sanctorum . . .[2]), Doctorum et sapientum in mundana sapientia et divina, ut Dionysii, Gregorii Nazianzeni, Gregorii Nysseni, Damasceni, Basilii, Athanasii, Chrysostomi. Latinorum similiter: Hilarii, Gregorii, Augustini, Ambrosii, Hieronymi.“ [3])

His enim generalibus tractibus maxime depingitur internus habitus S. Bonaventurae ad Patres, nec non clare demonstratur quali honore quantoque pretio erga ipsos in rebus theologicis affectus esse.

Exinde infert: „Oportet ergo recurrere ad originalia Sanctorum; sed ista sunt difficilia; ideo necessariae sunt Summae magistrorum, in quibus elucidantur illae difficultates.“ [4]) Magistri quidem summas ab originalibus traxerunt, originalia autem a sacra Scriptura“ [5]). Sed „quia ista scripta adducunt philosophorum verba, necesse est, quod homo sciat vel supponat ipsa.“ [6]) Ob eam causam nec ipsi Patres in singulis punctis sunt infallibiles, quippe aperte „dicit Augustinus [Epist. 82. (alias 19.) c. 1. n. 3.], quod solis canonicis Scripturarum libris convenit »ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse«, quod ipse d e c i p i potest et a l i i . . . Et hoc dicit Dionysius de Divinis Nominibus, quod »nihil assumendum est, nisi quod ex eloquiis sacris divinitus nobis est expressum« [c. 1. § 2.][7]), ut omnino infallibile. In quibusdam igitur casibus ait: „Est periculum descendere a d o r i g i n a l i a, quia pulcher sermo est originalium; Scriptura autem non habet sermonem ita pulchrum. Unde Augustinus, si tu dimittas Scripturam et in libris suis studeas, pro bono non habet.“ [8])

Adhuc plus sunt incertae Summae magistrorum in multis, „quia aliquando est in eis error; et credunt, se intelligere originalia, et non intelligunt, immo eis contradicunt. Unde sicut fatuus esset qui vellet semper immorari circa tractatus et numquam ascendere ad textum; sic

---

1) S. Bonaventura, de Reductione artium ad theol. n. 5.
2) „ „ , In Hexaemeron Collat. IX. n. 19.
3) „ „ , „ „ „ IX. „ 22.
4) „ „ , „ „ „ XIX. „ 10.
5) „ „ , „ „ „ XIX. „ 7.
6) „ „ , „ „ „ XIX. „ 10.
7) „ „ , „ „ „ XIX. „ 7.
8) „ „ , „ „ „ XIX. „ 10.

est in Summis magistrorum. **In his autem homo debet cavere, ut semper adhaereat viae magis communi.“**[1])

Praeter sacram Scripturam nemo alius infallibilis est nisi Ecclesia et S. Pontifex per assistentiam Spiritus sancti in declarandis iis, quae ad fidem et mores pertinent ex deposito fidei: „Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia fas de omnibus habeat indicandi, neque cuiquam liceat de eius iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est, ab illa autem nemo est appellare permissus . . . Ex his igitur manifeste colligitur, quod summi Pontificis est ceteros iudicare et a nemine iudicari, ac per hoc ei debeat ab omnibus obediri.“[2])

S. Bonaventura, si videret apud S. Patres aliquid minus clare minusve accurate dictum, prae viribus suis curabat illud in sensu meliori mitiorique explanare et in concordiam, quantum fieri poterat, cum progressu theologiae, philosophiae aliarumqu scientiarum, adducere. Clarum exemplum habemus in nostra dissertatione infra expositum, cum sermo erit de libero arbitrio. S. Bernadus enim liberum arbitrium definivit, quod sit „habitus animi liber“[3]); S. Thomas vero dixit illud esse potentiam[4]); S. Bonaventura denique, ne hiatus inter theologos et philosophos videretur, interpretatus est S. Bernardum, quod verbum habitus summendum est non sensustricto, sed **largo.**[5]) Postca ipse S. Thomas videns hoc, dixit, si summeretur „pro habitudine quadam“, verum esse[6]). — Si vero talis doctrina absoleta ei apparebat, nec in usu apud quemqum erat, eam simpliciter tacebat, vel cum contraria, quae ei ut verior accidebat, commutabat. Si autem aliquod periculum ex ea nasciturum esse timebat, eam impugnabat servata erga personam omni possibili mensura venerationis, caritatis et amicitiae. Itaque cum in legenda S. Gregorii, a Joanne Diacono scripta invenisset [l. II. c. 44.], quod Deus lacrymis precibusque S. Gregorii motus, imperatorem **Traianum**, propter idolatriam damnatum, ab inferis revocasse, S. Bonaventura dixit quod „non solum difficile, sed impossibile est, salvari decedentem in peccato.“[7]) Porro cum nonnulli insistere voluerunt: „quod hoc privilegium speciale fuit, ut Dominus ostenderet, quantum Sanctos suos diligeret“[8]), simulavit verum esse, nihil explicite dicens ob magnam venerationem, quam erga personam S. Gregorii habuit.[9])

Ad dictum Chrysostomi in Joan. 1, 33 seq. [Homil. 17 n. 2 seq.] insinuatum, quod Joannes Baptista, antequam Jesum baptizavit, eum exterius non cognoscebat nisi in generali, ita ut eum personaliter et

[1]) S. Bonaventura, In Hexaëmeron, Collat. XIX. n. 11.
[2]) S. Bonaventura, Quaest. disp., de Perfect. evangelica, q. 4. a. 3. n. 12.
[3]) S. Bernardus, de Gratia et l. arbitrio, c. 1. n. 2.; S. Bonav., II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus q. 4. fund. 1.
[4]) S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1; S. 1. q. 83. a. 2; de Verit. q. 24. a. 4.
[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.
[6]) S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1. ad 1.; S. I. c. ad 2.; de Verit. l. c. ad 8.
[7]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 20. p. 1. dub. 3.; Migne, P. L. T. 75. col. 105.
[8]) „ IV. „ „ 20. „ 1. „ 3.
[9]) „ IV. „ „ 20. „ 1. „ 3.

singulariter non videret, et postquam in IV. Sent. d. 5. dub. 3 tetendit se eiusdem sententiae accommodare, dicens: „Prius sciebat in generali, sed postmodum didicit in speciali . . . Primum enim scivit per conversationem infantiae, secundum per revelationem prophetiae", in suo commentario in Joannem c. 1, 31. n. 71. q. 4. melius rem examinando aperte contra opinionem Chrysostomi insurrexit: „Haec responsio non potest stare: quia Joannes cognovit Dominum in utero matris [cfr. IV. Sent. d. 6. p. 2. dub. 1.]; quomodo non cognovit, cum iam tantum creverat? — Item Matthaei tertio [v. 14] dicitur: »Ego a te debeo baptizari« — **Responsio est, quod cognovit, ipsum esse Christum; sed non cognovit, quod potestatem baptizandi reservasset sibi**", id est Joanni.

Quandoque cum restrinctione nominis opinionem philosophicam alicuius Patris ad trutinam revocat, v. gr., illam Damasceni docentis, quod liberum arbitrium nomen sit potentiae, quae se habeat per modum universalis ad rationem et voluntatem, et comprehendat eas sicut totum universale comprehendit partes, sed si hoc permittatur, respondet S. Bonaventura, tunc in quolibet homine duae libertates et duo libera arbitria sint, quod in se repugnat.[1])

Aliquando absque tali restrinctione illam refutat praemittendo eidem ipsum nomen Patris, ut Anselmi affirmantis: liberum arbitrium in praeligendis semper affectum praedominantem sequi.[2])

Licet S. Bonaventura magnam reverentiam erga S. Patres habucerit tamen eorum opiniones singulares serviliter secutus non est. Cur? **„Ne amore hominis veritati fiat praeiudicium."**[3]) Cum hunc finem semper in scribendis suis operibus prosecutus sit, una vice eum alte protestatus est hisce verbis: „Et haec omnia suis locis manifesta sunt et manifestabuntur."[4])

Inter omnes S. Patres maxime ei placebat **S. Augustinus,** de quo ait, quod ipsi **„sermo, scilicet sapientiae et scientiae, per Spiritum sanctum datus est, tanquam praecipuo expositori totius Scripturae, satis excellenter, sicut ex scriptis eius apparet."**[5]) **Ex hac enim clara professione S. Bonaventurae de doctrina S. Augustini patet, quod ipsum laudat tamquam maximum theologum antiquitatis, sed non philosophum. Philosophum per excellentiam autem semper et ubique nuncupat unice Aristotelem.** (II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. in corp.)

Non obstante moderata modestaque critica, quam S. Bonaventura in S. Patres exercuit, nihilominus apud ipsum legenti opera eiusdem reliquit spiritum pacis et reconciliationis cum ipsis. Ceterum hoc ipse

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.; S. J. Damascenus, II. de Fide orth. c. 22. [Migne, P. Gr. latine tantum editae T. 47. col. 476].

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp. et ad oppos 4.; S. Anselmus, Dialogus de lib. arbitrio, c. 8.; de Concordia praescientiae et praedestinationis nec non gratiae Dei cum libero arbitrio, q. 3. c. 11. seq. et c. 13. proprie; Venetiis ad signum spei 1549, fol. 66[b] et 67[a]; 137[b] et seq.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 44. dub. 2.

[4]) „ „ , II. „ „ 44. „ 2.

[5]) „ „ , Sermones theol. de rebus theol. Sermo IV. n. 19.

explicite confitetur: „Communi sententiae pro viribus meis in omnibus praecedentibus libris adhaesi tanquam viae securiori, et sicut scio et possum, mihi et aliis consimilibus parum intelligentibus, persuadeo adhaerendum . . . In **quaestionibus dubiis et difficilibus**, in quibus non potui deprehendere, quae esset via communis, quia sapientes opinantur contrarie sapientibus, **sic unam partem tanquam magis probabilim sustinerem, ut tamen aliam minime improbarem.** Sufficit enim in dubiis scire, quid sapientes senserunt, nec est utile contentionibus deservire Multa dicimus et deficimus in verbis, consummator autem sermonum ipse est [Eccli. 43, 29.]. Dominus noster Jesus Christus, magister, ut de nostra scientia non praesumamus."[1])

Cum itaque sibi obviavit magnus dissensus inter Chrisostomum [hom. 36. (alias 37.) super Matth. n. 1.], Augustinum [Sermo 66. n. 3. seq.], Ambrosium [V. in Luc. (c. 7, 19.) n. 98] et Gregorium [in Ezech. homil 1. n. 5] in expositione Matthaei, 11, 3 et Lucae 7, 19 circa dubium Joannis Baptistae de adventu, morte et descensu Christi ad inferos, illos quadam innata facilitate sequenti modo composuit: „Licet sancti Doctores videantur sibi dissentire, idem tamen sentiunt secundum rem — Propter quod intelligendum est, quod triplex est modus dubitandi. Est enim quaedam dubitatio proveniens ex infidelitate, sicut dubitaverunt Iudaei; et est dubitatio proveniens ex tarditate, sicut dubitaverunt discipuli . . .; et est dubitatio proveniens ex pietate, sicut aliquis ex passione magna et admiratione ad modum dubitantis se habet. — **Primo et secundo genere dubitationis Joannes nullo modo dubitavit, dubitaverunt tamen discipuli eius; et sic intelligunt Sancti [v. gr. Hilarius, Comment. in Matth. c. 11. n. 2], qui dicunt, eum non dubitasse, sed dubitationi discipulorum consuluisse.**"[2])

His lineis de ipsius S. Bonaventurae operibus extractis, puto, faciliter cognosci posse relationem eiusdem erga S. Patres. Altera ex parte ipse nos adiuvat, quod nihil a nobis arbitrarie de illo dictum est, quod non responderet reali veritati, cum dicit: „In his igitur et in omnibus aliis, si quis aspiciat diligenter et pie, inveniet, me a patrum et maiorum vestigiis non fuisse ausum recedere; quoniam iuxta consilium Gregorii [XXVIII. Moral. c. 11. n. 27.] sanius est alieno intellectui cedere quam contentionibus deservire, pro eo quod, sicut dicit documentum Doctoris gentium ad Timoteum [2. Tim. 2, 24. 25]: Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui renitent veritati."[3])

In recipiendis etiam textibus S. Patrum S. Bonaventuram minime omnis artis criticae expertem fuisse ostendunt multae animadversiones ab eo in suis scriptis nobis relictae.

[1]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 40. dub. 3. et Sermones theol. etc. IV. n. 28.

[2]) „ „ , III. Sent. d. 25. dub. 3.

[3]) „ „ , Praelocutio ad II. Sent. p. 3.

Librum quoque de Nativitate, quem S. Hieronymus transtulisse fertur, non recipit dicendo: „Quamvis sit apocryphus, continet tamen multa verissima.“[1]) Etiam dubitavit auctorem esse Augustinum: Quaestionum novi et veteris Testamenti, quas P. Lombardus inter opera Augustini recensuit, quippe: „Ibi multa sunt, quae non videntur [esse] verba Augustini.“[2]) Librum vero de Anima et spiritu plerumque laudat sub nomine Augustini, sed II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 1, ad 1. dicit: „Sive fuerit Augustinus sive alius.“ Denique librum de Ecclesiasticis dogmatibus, quem prius Augustino attribuebat, in Apologia pauperum [resp. III. c. 1] eum proprio auctori Gennadio Massiliensi restituit.

§ 3. De modo S. Bonaventurae se gerendi ad Magistros.

S. Bonaventura quidem prae omnibus magistris aestimavit P. Lombardum, qui „a scientia, quam acquisierat longo tempore vel labore, hoc opus [scilicet IV libros Sententiarum] composuit et per doctrinas Patrum suas sententias confirmavit. Et quod sunt ibi multa dicta aliorum, hoc non tollit Magistro auctoritatem, sed potius eius auctoritatem confirmat et humilitatem commendat.“[3])

Nonobstante hac magna laude, veneratione S. Bonaventurae erga P. Lombardum, ipse adhaerens principiis suis supra a nobis allatis, ne amore hominis veritati fiat praeiudicium, unus est inter primos, qui publice ausus est octo eius propositiones schematice proscribere et ad trutinam revocare[4]); nec non multas alias privatim confutavit, ampliavit correxitque[5])

En quomodo se in hac re habet: „Non tamen est mirandum, si in tot et tam bonis dictis Magister dixit aliquid minus complete; nec ei est propter hoc insultandum. Magis enim suo labore meruit legentium orationes et gratiarum actiones quam reprehensiones, licet in aliquibus locis declinaverit ab opinionibus communibus et parti minus probabili adhaeserit, praecipue in octo locis.“[6])

[1]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 28. a. 1. q. 6.

[2]) „ „ „ III. Sent. d. 3. p. 1. a. 2. q. 3. ad 2.

[3]) „ „ „ I. Sent. Prooemii q. 4. ad 2.

[4]) Octo propositiones proscriptae inveniuntur apud S. Bonaventuram in respectivis commentariis singulorum librorum Sententiarum, in sollemni praelocutione in II. librum Sententiarum, p. 1—3 praemissa, et in fine eiusdem commentarii II. Sent. d. 44. dub. 3.

[5]) Exempli gratia in quaestione: „Utrum a Deo sit omnis actio, secundum, quod actio?“ II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. in corp. S. Bonaventura, postquam stabilivit; quod omnis actio, sive substrata peccato sive non, quatenus est actio, est a Deo, ait: „Magister dicit in littera (II. Sent. d. 37. a. 1.], circa istam quaestionem fuerunt diversae positiones adeo magnorum virorum et adeo rationabiles, ut nec Magister ausus fuerit definire, quae earum magis contineat veritatem.“ etc.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 44, dub. 3.

1.° „Caritas, quae est amor Dei et proximi, non est quid creatum, sed increatum.

2.° Haec nomina trinus et trinitas non dicunt positionem, sed privationem tantum.

3.° In Angelis beatis praemium praecessit, et meritum respectu substantialis praemii habet subsequi.

4.° Nihil de cibis transit in veritatem humanae naturae, nec per generationem nec per nutritionem.

5.° Anima exuta a corpore est persona.

6.° Christus fuit homo in triduo.

7.° Baptismus Joannis cum impositione manuum aequipollebat baptismo Christi, ita quod baptizatus baptismate Joannis in fide Trinitatis non erat rebaptizandus.

8.° Aliud est de potestate baptizandi interius, quam dixit; quod Deus potuit alii dare, et quod creatura potuit suscipere; et similiter, quod Deus potest potestatem creandi communicare et creare per creaturam tanquam per ministrum.

In his octo positionibus communiter doctores Parisienses non sequuntur Magistrum, nec credo, in omnibus his eum esse sustinendum, ne amore hominis veritati fiat praeiudicium.“ [1])

Praeter P. Lombardum valde honoravit Hugonem a S. Victore. Una vice tantum in suis operibus, quantum mihi constat, legitur, ipsius, sententiam n o m i n a t i m magna cum modestia reprobasse, scilicet, quod nihil de cibis transit in veritatem humanae naturae, nec per generationem nec per nutritionem[2]), multoties vero modo impersonali eiusdem auctoris plures opiniones refutavit vel correxit. Splendidum exemplum habemus in nostra dissertatione articulo primo et secundo appendicis, in quibus exacte demonstratur, quomodo S. Bonaventura damnavit sententiam Hugonis affirmantem inter creationis, et lapsum angelorum nullam moram fuisse; nec non correxit in conceptu gratiae creationis, de qua S. Bonaventura dicit, cum sit a Deo Adae data ad conservationem naturae integrae in statu praeternaturali, cum ea non potuit se praeparare ad gratiam sanctificantem, ideoque alia gratia sapernaturali indigebat, quae ab eo gratia gratis data apellatur, ut se praeparet ad gratiam sanctificantem.

---

[1]) „ „ II. Sent. d. 44. dub. 3. Loci autem inveniuntur

apud P. Lombardum	et	apud S. Bonaventuram sequenti ordine:
1.° I. Sent. d. 17. c. 1.		I. Sent. d. 17. p. 1. q. 1.
2.° I. Sent. d. 24. c. 1.		I. Sent. d. 24. a. 1. q. 1; a. 2. q. 1.
3.° II. Sent. d. 5. c. 6.		II. Sent. d. 5. a. 3. q. 2.
4.° II. Sent. d. 30. c. 14.		II. Sent. d. 30. a. 3. q. 2.
5.° III. Sent. d. 5. c. 3.		III. Sent. d. 5. a. 2. q. 3.
6.° III. Sent. d. 22. c. 1.		III. Sent. d. 22. a. 1. q. 1.
7.° IV. Sent. d. 2. c. 6.		IV. Sent. d. 2. p. 1. a. 2. q. 3.
8.° IV. Sent. d. 5. c. 3.		IV. Sent. d. 5. a. 3. q. 1.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 30. a. 3. q. 1. ad oppos. 1.; Hugo a S. Victore, I. De Sacram, p. VI. c. 37; [Migne P. L. T. 176. col. 286.]

Saepe alludit ad Regulas theologicas Alani ab Insulis. P. Abaelardum, qui potentiam divinam ad extra limitavit, vehementer increpavit.[1] Gilberto autem Porretano affirmanti, quod Deus potest super impossibile per accidens, v. gr., quod potest facere: praeteritum numquam fuisse, respondet: „Certe huiusmodi expositiones valde sunt extraneae.“[2] Plures propositiones Praepositivi palam proscribendo refutavit, inter quas eminet sequens: „Respondet Praepositivus, quod Caiphas in mala voluntate peccavit, sed in illius consilii propalatione non peccavit; quia Spiritus sanctus usus est eo sicut instrumento, et sicut usus fuit fructus malae voluntatis; quia voluntas non fuit nisi mala, locutio non fuit nisi bona. — Dicendum tamen, inquit S. Bonaventura, quod Caiphas non tantum protulit ut asinus, sed ut homo perversus, intendens per hoc persuadere malum. Unde dicendum, quod istius sermonis principium duplex fuit: interius formativum, scilicet divina inspiratio et haec simpliciter bona; et Caiphae intentio, et haec simpliciter mala.“[3]

Nec consentit Gulielmo Antissiodorensi dicenti de contractu matrimonii: „Quod necesse est consentire in copulam carnalem non in particulari, sed in universali; non explicite, sed implicite. Oportet enim consentire in copulam coniugalem, quae continet in se quatuor, scilicet cohabitationem et mutuum obsequium et mutuam corporum potestatem et copulam carnalem.“[4] S. Bonaventura applicans hanc doctrinam. Gulielmi ad verum matrimonium B. V. Mariae distinguit inter matrimonium ratum et consummatum. Sed matrimonium B. V. Mariae fuit tantum ratum et numquam consummatum. Ergo contractus matrimonii potest fieri absque consummatione: „Quoniam ... gloriosa Virgo matrimonium consentit contrahere, sed certa fuit, quod numquam matrimonium consummaret etc.“[5]

Alexandrum Halensem, quem „patrem et magistrum“[6] bonae memoriae nuncupat, quamvis sibi ipsius „vestigiis praecipue inhaerere“[7] proposuerit, tamen eiusdem sententiam, quantum mihi constat, defendentem, quod liberum arbitrium proprie sumptum, sit potentia specialis realiter a ratione et voluntate prorsus distincta, negat.[8]

[1] S. Bonaventura, I. Sent. d. 43. a. unicus. q. 4. in corp.; Abaclardus, Introductio ad Theologiam, l. III. n. 5.

[2] S. Bonaventura, I. Sent. d. 42. a. unicus. q. 3. in corp.; Gilbertus Porretanus, Expositio in libr. de Trinitate Boëthii, c. 4.

[3] S. Bonaventura, Comment. in Joannem c. 11. n. 76. q. 2. in corp.; Codex Tudertinus 71, fol. 100 v. et 101 r.; qui Summam Praepositivi ineditam continet, p. II. q.: „Utrum omnis actio, in quantum est actio, sit a Deo“. Difficultatem, quae ad rem nostram pertinet, hoc modo solvit: „Nobis autem videtur, quod actio eius [scil. Caiphae] nullo modo mala fuit et nullo modo processit ex mala voluntate, quam habuit, et quod voluit dicere non dixit, et dixit quod se dicere non putavit.“ Editoves O. S. B., tom. VI. p. 409 n. 13.

[4] S. Bonaventura, IV. Sent. d. 28. a. unicus. q. 6. in corp. Gulielmus Antisiodorensis, Summa aurea, l. III. tr. 28. c. 2. q. 3. (ed Parisiis 1500).

[5] S. Bonaventura, IV. Sent. d. 28. a. unicus. q. 6. in corp.

[6] „ „ II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. ad 7.

[7] „ „ Praelocutio in II. Sent., p. 2.

[8] „ „ II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. in corp.; Halensis, S. p. 2. q. 72. m. 2. a. 1. § 2.

S. Thomam quidem, quem sincero amore semper prosequebatur, in suis scriptis, praesertim posterioribus nullibi corripuisse legitur.

In suis conferentiis scientifico-religiosis in Hexaëmeron habitis tempore hiemali 1273. Parisiis coram Universitate, S. Bonaventura quamdam speciem humanismi illius temporis magistrorum artium acriter impugnavit, qui, ut ex interno argumento harum conferentiarum apparet, tum sacram Scripturam, tum disciplinas theologicas pro nihilo putasse, exaltantes nimis „scientias exteriores“ [Collat. XVII. n. 26. 27.], sive „profanas“ [Collat. XVI, n. 22], praesertim placita philosophica averroistarum in detrimentum fidei verique nominis scientiarum et philosophiae. [Collat. VI. n. 2—6.] Eam ob causam monet „ne nimis commendent magistri dicta philosophorum“ [Collat. XIX. n. 12] illius aetatis propter periculum quod exinde incautis animabus causare possint [Collat. XVII. n. 26; XVIII. n. 3; XIX. n. 10—15.], dum aquam turbidam insanae philosophiae cum sapientia christiana miscent [Collat. XIX. n. 14.; Collat. I. n. 10]. Ideoque commendat eis, quod super omnia attendere debent, ut auditores studiis dediti „a sapientia mundana trahantur ad sapientiam christianam“ [Collat. I. n. 9.], id est, a philosophia averroistica ad philosophiam peripateticam christianam.

Sed de S. Thoma, suo intimo amico, cui res secundae tunc Parisiis non arridebant; qui etiam a suis confratribus ut Rolando de Cremona, Roberto Fitzacher, Hugone a S. Caro, Petro de Tarantasia et Roberto Kilwardby, tum a duobus franciscanis Joanne Peckham et Gulielmo Lamarre, tum a clero sacculari Stephano Tempier, episcopo Parisiensi, Henrico Gandavensi, Nicolao Lisieux et Giraldo de Abbatisvilla propter nonnulla placita philosophica minus illis faventia insectatus[1]), S. Bonaventura, cum tunc Parisiis magna auctoritate gauderet, facilitèr, humanitus loquendo, poterat abuti et S. Thomam sicut averroistas latinos aggredi vel saltem se cum Magistris supramemoratis contra ipsum unire. Attamen quid in re accidit? S. Bonaventura, tum in conferentiis sive collationibus de decem praeceptis, tum in illis de septem donis Spiritus sancti, tum in illis in Hexaëmeron Parisiis (1268—73) habitis profundum silentium de S. Thoma servat. Dum alii de ipsius doctrinae philosophicae veritate in quibuspunctis haesitabant, vel periculum eis adhaerere videbant, ille autem propter ipsa nullis angustiis opprimebatur. Immo comparando internum argumentum celebris sermonis S. Bonaventurae, quod **„Christus unus omnium magister“** est cum Collationibus in Hexaëmeron certe habitis coram Magistris Universitatis tempore hiemali Parisiis 1273, ac circa ipsos analysim instituendo, inveni inter utrosque magnas similitudines; fere easdem personas doctas alloquitur, et in eisdem circumstantiis locoque positas. Propter quid? et quare? S. Bonaventura re vera praesuponit fine huius magnifici sermonis inter magistros christianos existisse quosdam

[1]) Mandonnet, Siger de Brabant et l' averroisme latin au XIIIe siècle, Fribourg en Suisse, Collectanea Friburgensia, Fasc. VIII. p. CCXLVII et suivantes. — Franz Ehrle, Beiträge zur Geschichte der mittel. Scholastik, in Archiv für Literatur und Kirchengeschichte, B. 5., Freiburg i. Br., S. 609—639. — Ueberweg-Heinze, G. der Philosophie, B. 2, S. 316—319.

dissensus. Ut illos e medio auferrat, proponit ipsis: Christum esse solum principalem magistrum et doctorem" [Sermones theol. Sermo IV. n. 19 et n. 1.], alios esse „magistros ministeriales" tantum [n. 24.]. Sed Christus est „via veritas et vita" [n. 1.] „principalis legislator et simul perfectus viator et comprehensor" [n. 19.]. In quantum v i a est, est „magister et principium cognitionis, quae est per fidem" [n. 2.]. In quantum v e r i t a s est, „est etiam magister cognitionis, quae est per rationem" [n. 6.], quia creatura rationalis ut ad cognitionem naturalem perveniat, indiget immediato concursu Dei [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.]. „Postremo, Christus in quantum v i t a est magister cognitionis contemplativae" [n. 11.]. „Ad cuius intelligentiam notandum, quod in creaturis reperitur t r i p l e x m o d u s c o n f o r m i t a t i s ad Deum. Quaedam enim conformantur Deo sicut vestigium, quaedam sicut imago, quaedam sicut similitudo. Vestigium autem dicit comparationem ad Deum sicut ad principium causativum; imago autem non solum sicut ad principium, sed etiam sicut ad obiectum motivum; »eo enim est anima imago Dei, ut dicit Augustinus decimo quarto [c. 8. n. 11.] de Trinitate, quod capax eius est et particeps esse potest«, scilicet per cognitionem et amorem. Similitudo autem respicit Deum non tantum per modum principii et obiecti, verum etiam per modum doni infusi." [n. 16.] Primum philosophice stabilivit Aristoteles, quia ipsi datus est „sermo scientiae" [n. 18.]; secundum Plato, quia ipsi datus est „sermo sapientiae" [n. 18.]; tertium Augustinus, „tamquam praecipuus expositor totius Scripturae" [n. 19.], quia ipsi datus est „sermo sapientiae et scientiae" [n. 19.]. Sed de Aristotele ait, quod neglexerit viam superiorem scilicet rationes aeternas [n. 18.] et de Platone, quod everterit ordinem cognitionis naturalis [n. 18.]. Ergo „magistri ministeriales", propter „principalem magistrum Christum" [n. 20.] **„debent tendere ad vinculum caritatis, ideo debent concordare in suis sententiis"** [n. 26.], cessare discordias, „intendere scientiae veritatis fidei [n. 24.], disciplinae sanctitatis [n. 25], benevolentiae caritatis Dei et proximi" [n. 26.].

Cum Collationibus in Hexaëmeron S. Bonaventura vult Magistros Parisienses avertere ab erroribus Averrois et adducere ad philosophiam peripateticam christianam [Collat. I. n .9.], dum cum Sermone quarto „Christus unus omnium magister", vult eosdem Magistros scholasticos avertere ab impugnatione incepta S. Thomae, a mutuis dissensibus, quia „haec, inquit, verba sunt divini amoris, quae penetrant medullas cordis; et haec dicuntur dari per m a g i s t r o r u m consilium a pastore uno . . . Et quoniam omnes doctores christianae legis finaliter debent tendere ad vinculum caritatis, ideo debent concordare in suis sententiis" [n. 26.].

Simili modo S. Bonaventura se gerebat in illa occasione, cum Guillelmus de S. Amore movendo litem contra mendicantes, causa fuit suspensionis pro tempore studii Parisiensis anno 1255. Etenim primo mane in festo S. Marci ad S. Antonium hoc modo proprium sermonem terminat: „Oremus pro statu Ecclesiae, praecipue pro studio

Parisiensi, quod modo cessat, et puto, quod diabolus fecit modo maximam partem suae voluntatis, quando procuravit, quod cessaret, quia hoc est unum de maioribus damnis, quod ipse possit facere sanctae Ecclesiae, quia studium Parisius est fons, a quo rivuli exeunt per totum mundum et episcopi et archiepiscopi et alii ecclesiarum rectores."[1])

His nonnullis tractibus excerptis ex ipsis scriptis S. Bonaventurae, vivide depingitur character eiusdem Sancti erga Magistros, qui nobis apparet ut valde iustus, impartialis et plenus amoris et reverentiae erga omnes, defendens non systema veritatis cum quo omne quod non convenit, damnatur et reiicitur, sed veritatem. Hoc sensu ipse S. Doctor nobis praesto est: „Pro viribus meis in omnibus praecedentibus libris adhaesi tanquam viae securiori, et sicut scio et possum, mihi et aliis consimilibus parum intelligentibus persuadeo adhaerendum; et quoniam per totum librum hoc diligentius observavi — sicut advertenti clarius apparebit — ut in his quaestionibus d u b i i s et d i f f i c i l i b u s, in quibus non potui deprehendere, quae esset v i a c o m m u n i s, quia sapientes opinantur contrarie sapientibus, sic unam partem tanquam m a g i s p r o b a b i l e m sustinerem, ut tamen a l i a m m i n i m e improbarem."[2]) Et hoc fideliter ubique secutus est; nam in quaestione utrum angeli statim in gratia sanctificante creati sint, an non? agnoscit sibi valde difficile fuisse rem exacte determinare ob penuriam revelationis et S. Patrum doctrinae praecisae circa hanc materiam. Unde dixit: „Probabiliter utrumque possumus opinari, sicut et alii ante nos."[3]) Tamen cum illo tempore maior pars esset pro parte negante, suum consensum illi praestitit, nullo modo damnans aliam sententiam affirmantem ut Praepositivi et S. Thomae, quia „satis videtur consona auctoritatibus Sanctorum."[4])

Quare hoc faciebat? Periculum esse errandi putabat, si non sequeretur communiorem viam doctorum, in talibus quaestionibus, ideo aiebat: „Non enim intendo novas opiniones adversare, sed communes et approbatas retexere."[5]) In una anecdota a suo discipulo relicta narratur semel ditisse: „Non enim decet iuniores antiquorum aspernari sententias, sed humiliter venerari et fideliter explicare; quia non est credendum, quod magni amatores et inquisitores veritatis celebres positiones suas dixerint sine causa; in omnibus autem dictis praecipue causa dicendi consideranda est. Nam quod superficialiter videtur falsum, frequenter invenitur verum, cum pertingitur ad intentionem dicentium."[6])

In quaestionibus igitur dubiis et difficilibus erga alios S. Bonaventura erat **indulgentissimus**, sed pro se **conservativus**, quia opinionem communiorem sequebatur; attamen erga eum **„qui certum proponit**

[1]) S. Bonaventura, Sermones de Sanctis, de S. Marco evangel. Sermo I.; (tom. IX.) p. 524.
[2]) „ „ III. Sent. d. 40. dub. 3.
[3]) „ „ II. Sent. d. 24. a. 1. q. 2. in corp.
[4]) „ „ II. Sent. d. 24. a. 1. q. 2. in corp.
[5]) S. Bonaventura, In II. Sent. praelocutio, p. 2.
[6]) Proleg. in I. l. Sent. LXIII. § 4.

ut dubium, sicut qui dubium asserit ut certum"[1]), resolutissimus erat, ut opinionem eius nominatim proscriberet, ut Joachimi abbatis de novo Testamento Spiritus sancti expectando clare dicens: „Post novum testamentum non erit aliud, nec aliquod sacramentum novae legis subtrahi potest, quia illud testamentum aeternum est."[2])

§ 4. De S. Bonaventurae dispositione ad philosophos scientiarumque peritos.

S. Bonaventura in suis scriptis nullibi legitur inimicus fuisse veri nominis philosophiae scientiarumque. Si una vice dixisse invenitur: „Est ergo periculum descendere ad originalia [scilicet libros S. Patrum], quia pulcher sermo est originalium. [In Hexaëmeron Collat. XIX. n. 10.] . . . Maius autem periculum est descendere ad Summas Magistrorum, quia aliquando est in eis error. [Ibid. n. 11.] . . . Descendere autem ad philosophiam est maximum periculum" [Ibid. n. 12.], videndum est quo fine, loco, tempore et circumstantia ipsum hoc locutum esse.

S. Bonaventura habens conferentias scientifico-religiosas Parisiis anno 1273 coram Magistris Universitatis, cum multi eorum praesertim pertinentes ad artes abutebantur scriptis S. Patrum, Magistrorum Philosophorumque detorquendo sanam doctrinam eorum ad sua placita averroistica et humanistica confirmanda, ideo plenam rationem habebat dicere cum tali mente descendere ad originalia S. Patrum periculum esse, ad Summas Magistrorum maius esse, ad Philosophos maximum, utpote iis facillimum est abuti.[3])

Quomodo **affecta sit mens S. Bonaventurae ad veram philosophiam in omni pagina ipsius opera demonstrant, ita si ab eo in philosophia Aristoteles auferratur, in theologia Augustinus et sacra Scriptura in revelatione apud eumdem nihil remanet nisi fragmenta errantia textuum nonnullorum auctorum ac propriarum conclusionum declarationumque.** Amor philosophiae perennis maxime in eo manifestatur, cum incipit loqui et disserere solus de aliqua quaestione, in qua solus difficultates dirimit. Unum exemplum potest afferri de Itinerario mentis in Deum c. III. n. 1—7.

Sana philosophia maximam utilitatem confert ad refutandos errores circa fidem et rationem ideo valde necessarium est studium philosophiae: „Si verba philosophorum aliquando plus valent ad confutationem errorum, non deviat a puritate aliquando in eis studere, maxime cum multae sint quaestiones fidei, quae sine his non possunt terminari."[4])

Aristotelem, apellat kat' exochen philosophum[5]); ipsum etiam ad

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 30. q. 1. ad 1.

[2]) S. Bonaventura, In Hexaëmeron Collat. XVI. n. 2.

[3]) S. Bonaventura, In Hexaëmeron Collat. V. n. 21. — Mandonnet, Siger de Brabant etc. p. CCVII—CCXXVII. Appendices: Tractatus de erroribus philosophorum 1—11; Alberti Magni de quindecim Problematibus, 15—36.

[4]) S. Bonaventura, Opusculum XII. Epist. de tribus quaest. n. 12.; (tom. VIII. p. 335.)

[5]) „ „ II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. in corp.

fideles praedicando citat. eiusque principiis metaphysicis omnes fere difficultates, quae ex parte rationis moventur, resolvit[1]).

Licet Aristotelem maximum philosophorum apud se habuerit, et alios philosophos honoraverit, praecipue Platonem, tamen descendens ad eos: iam suo tempore animadvertit principium in historia philosophiae moraliter probatum: „Necesse est philosophantem in aliquem errorem labi nisi adiuvetur per radium fidei.“[2])

Platonem reprehendit ob triplicem errorem commissum „quia despecto mundo sensibili, totam certitudinem cognitionis reducere voluit ad illas ideas . . ., quae procedit secundum rationes aeternas“[3]), nec non ipsius doctrinam de praeexistentia animarum[4]), et metempsychosi.[5])

De Aristotele autem in primis dubitat, utrum docuerit materiam fuisse aeternaliter imperfectam: „Quidam tamen moderni dicunt, Philosophum nequaquam illud sensisse nec intendisse probare, quod mundus omnino non coeperit, sed quod non coeperit naturali motu. — Quod horum magis verum sit, ego nescio, hoc unum scio, quod si posuit, mundum non incepisse secundum naturam, verum posuit, et rationes eius sumptae a motu et tempore sunt efficaces. Si autem hoc sentit, quod nullo modo coeperit; manifeste erravit.“ etc.[6])

Dum inter interpretes status cunctationis persistebat, quid de hac re Aristoteles certe docuisset, S. Bonaventura reliquit quaestionem plus minusve indecisam, sed cum averroistae latini Aristotelem ad suam partem traxissent[7]), ei imputavit errorem docuisse aeternitatem mundi aliasque sequelas, quas averroistae ex hac doctrina illati sunt.[8]) Postea iterum rem maturius calmiusque examinans talem sententiam tacite revocavit rediendo ad pristinum statum indaecisionis ac solummodo eum accusando de negligentia mundi idealis in Deo[9]) et de talis mundi iniusta impugnatione apud Platonem eum defendentem.[10])

Praeter Platonem et Aristotelem S. Bonaventura cognoscebat fere omnes alios antiquos philosophos, sed eorum placita non sequebatur

---

[1]) S. Bonaventura, Sermones de tempore. In Nativitate Domini Sermo IV.; (tom. IX. p. 113.); — Dominica V. post Epiph. Sermo I.; (tom. IX. p. 193.) etc.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 18. a. 2. q. 1. ad 6.

[3]) „ „ Sermones electi de rebus theol. Sermo IV. n. 18.

[4]) „ „ II. Sent. d. 18. a. 2. q. 2. in corp.; Plato, Timaeus (ed. Serrani); tom. 3. p. 41. seq.; Phaedrus (ed. Serrani); tom. 3. p. 246.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. fund. 5; Plato, X. de Republ. (ed. Serrani); tom. 2. p. 620.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 2. in corp. — Aristoteles III de Caelo et mundo, text. 21. (c. 2.) recitat opinionem Platonis ex Timaeo, quod elementa inordinate movebantur, antequam mundus factus esset. Idem asserit August. X. de Civ. Dei, c. 31 et XII. c. 12. Quae sit vera de hac opinione Aristotelis sententia nec antiqui nec recentiores interpretes conveniunt.

[7]) S. Bonaventura, In Hexaëmeron Collat. VI. n. 2—6.

[8]) „ „ „ „ VI. n. 4.

[9]) „ „ Sermones electi de rebus theol. Sermo IV. n. 18.

[10]) „ „ „ „ „ „ „ „ IV. n. 18. Aristot. I. Metaph. text. 25. seqq. (c. 9.) et XIII. c. 4. seqq. (XII. c. 4. seqq.); I. Ethic. c. 6.

nisi in quantum conhaerent cum principiis metaphysicis Aristotelis et in eis, quod illi deficit cum Platone. A Plotino sibi appropriat quatuor genera virtutum.[1]) Neo-platonismum Procli, de influxu, principali et efficiente angelorum in homines reprobat.[2]) Contra Stoicos docet, quod virtutes politicae naturales possunt una sine altera in homine vigere.[3]) Libris Boëthii et Pseudo-Dionysii saepe numero utitur. Pythagorae et Varronis errorem: eamdem esse animam in omnibus hominibus et animalibus acriter profligat.[4]) Super omnia detestatur pantheismum Averrois, Avicennae[5]), averroistarum latinorum[6]), Almarici de Bene et Davidi de Dinando.[7]) In quaestionibus metaphisicis aliquando allegat Algozelum et Avicennam.[8]) Ex quibus patet eum non fuisse pertinacem inimicum philosophorum medicorumque Arabum et Iudaeorum. Cum illis tantum in iis non conhaerebat, si quid falsi docuerunt; in scientiis naturalibus, medicina, mathematica illos valde laudabat agnoscendo eorum competentiam: **„Medicis in his quae dicunt circa suam scientiam, credendum est, et naturalibus similiter in his quae dicunt circa suam scientiam."**[9]) Hoc principio innitens refutat opinionem Hugonis a S. Victore [S. Sent. tract. I. c. 37.] et P. Lombardi [II. Sent. d. 30. c. 14.] negantium: semen enasci de superfluo nutrimenti his verbis: „Cum determinare de generatione hominis pertineat ad philosophum naturalem: credendum est ei, quod semen sit ex superfluo nutrimenti."[10])

Licet S. Bonaventura tantum amaverit scientias naturales, tamen ut philosophus, ubi aliquid minus rectum invenit, ne amore hominis veritati fieret praeiudicium, modo solito tales doctrinas proscripsit et refutavit. Ita damnat antiquos Eleatas, quorum dux erat Xenophanes [c. 569 a. Chr. Aristot. I. Phys. text. 32. (c. 4.); I. Metaph. c. 9. (c. 5.)], docentes: „Mundum factum esse a Deo et **de sui essentia**, quia non videbant, quomodo aliquid posset fieri ex nihilo; et solus Deus fuit in principio, et ideo dixerunt, quod fecit omnia de se ipso"[11]); tum etiam errorem Anaxagorae: „Mundum factum esse ex principiis praeexistentibus, scilicet ex materia et forma; sed formae latebant in materia, antequam intellectus illas distingueret"[12]); tum Platonicorum

---

[1]) S. Bonaventura, In Hexaëmeron Collat. VI. n. 27—32; Plotinus, Enneadae primae libro II. de virtutibus (ed. Basileae 1580) p. 13. n. 3. seqq.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 10. a. 2. q. 1. in corp.; Proclus, Element. theol. et phys. propositionum. 201.

[3]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 3. in corp.; Cicero, II. Tuscul. Disput. c. 14. Seneca, Epist. 66.; 86; de Clementia, c. 5.; II. de Tranquillitate vitae ad Serenum, c. 7.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 17. a. 2 q. 1. in corp.; Cicero, I. de Natura deorum c. 11. Minutius Felix in Octavio, c. 19.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. 24. p. 1. a. 2. q. 4. in corp. et d. 18. a. 2. q. 1. in corp.

[6]) „ „ In Hexaëmeron, Collat. VI. n. 2—6.

[7]) „ „ „ „ Collat. IV. n. 11.

[8]) „ „ Quaest. disp., de Mysterio Trinitatis. q. 3. a. 1. fund. 4. etc.

[9]) „ „ II. Sent. d. 30. a. 3. q. 1. fund. 1.

[10]) „ „ II. Sent. d. 30. a. 3. q. 1. fund. 1.

[11]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.

[12]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. in corp. Aristot. I. Phys. text. 32. seqq. (c. 4); I. Metaph. c. 4—7. (c. 3. seq.); August. VIII. de Civ. Dei, c. 2. seq.

affirmantium, quod mundus factus sit ex principiis praeexistentibus, ut materia et forma „sed materiam per se posuerunt, formas separatas, et postmodum ex tempore ab opifice summo esse coniunctas“[1]); tum Empedoclis defendentis: „Mundus semper fuit plantis et animalibus plenus.“[2])

Porro praefert theoriam perceptionis lucis Aristotelis illi Empedoclis dicentis: „Quod lux transfertur et vadit in tempore inter terram et circumferentiam, sed inperceptibili a nobis. Iste enim sermo, inquit, est extra verum et extra apparentiam; possibile est enim, hoc non percipi in brevi spatio, sed non percipi de oriente ad occidentem, magna est differentia valde [méga lían, tó aítema].[3])

Aliquando recurrit ad explicandas facilius quasdam res speculativas ad regulas geometricas Euclidii.[4])

Ptolomaeum vocat maximum astronomorum antiquorum.[5])

Ad explicandos eventus naturales, ut bothanicos, geologicos, physiologicos, anatomicos chimicosque utitur doctrina Aristotelis, Plinii, Macrobii aliorumque principum in singulis scientiis antiquitatis.

De mari dicit cum Aristotele, quod „est omnibus fluminibus, fontibus et pluviis origo et quies.“[6]) Evaporationem amaritudinis maris explicat causari coctione solis: „Quantumcumque aquae de mari exeuntes et a sole coctae fluvii dulces fiunt.“[7]) Cognoscit quaedam experimenta: „Ovum mergitur in aqua dulci, quod tamen non mergitur in aqua maris.“[8]) Instabilitates mutationum maris declarat auctoritate Aristotelis et Macrobii: „Mare quatuor mutationes recipit in omni mense secundum quatuor septennaria lunae et centum quadraginta quatuor genera piscium habet, secundum Plinium, varia.“[9])

Physiologiam constitutionis corporis vivi his verbis delineat: „Corpus constat ex membris officialibus, officialia ex similibus, similia ex humoribus, humoresex cibis, cibi ex elementis.“[10]) Notionem respirationis sumit ab Alfredo Anglico, quod calore utens anima vegetativa

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.

[2]) „ „ II. Sent. d. 1. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.

[3]) „ „ II. Sent. d. 13. a. 3. q. 1. fund. 3; Aristot. II. de Anima, text. 70 (c. 7.).

[4]) „ „ IV. Sent. d. 49. p. 2. sect. 2. a. 3. q. 1. ad opposit. 6; Euclid., I. Geometr. n. 4.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 3. fund. 2.

[6]) S. Bonaventura, Sermones de tempore, dominc. IV. post Ephiph. Sermo V; (tom. IX. p. 192.); Aristot. II. Metereor. 2, 186[a] — 187[a] (Ed. Acad. R. Borus. vol. III.).

[7]) S. Bonaventura, ibid. Aristot. II. Metereor. 3, 187[a] — 188[b] (Ed. Acad. R. Borus. vol. III.).

[8]) S. Bonaventura, ibid. cfz. Aristot. II. Metereor. 3, 187[a] — 188[b] (Ed. Acad. R. Borus. vol. III.).

[9]) S. Bonaventura, ibid. Aristot. IV. de Generat. animal. 10, 379[a] 1 et seq.; (Acad. R. Boruss. vol. III.); Macrobius, I. in Somnio Scipionis, c. 6. ratio 4. et. 7. Plinius XXXII. Histor. natur. (ed. August. Taurin., 1832.) c. 53. (alias 11.).

[10]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 44. p. 1. a. 1. q. 1. fund. 4.; Liber de Spiritu et anima (inter Op. August.), c. 15.

„cibum in humores, sanguinem in spiritum [scil. respirationem] permutat.“[1])

Porro S. Bonaventura cognoscebat valde bene antiquos classicos latinos praesertim Tullium Ciceronem et Senecam, quorum morales sententias etiam in suis sermonibus memoriter citat.[2])

Aliquando etiam in siccis speculationibus scit lectorem delectare quibusdam versibus Horatii, Virgilii, Ovidii, Persii, Iuvenalis, Lucretii, Petri Blesensis et Fortunati Pictaviensis.[3])

Videtur etiam prae ceteris bene callere Tapiam philologum, cuius analysim verbi caligae acceptat: „Cui etiam consonat et Papias grammaticus: caligae vel caligulae, id est sandalia, dicta sunt a callo pedum, vel quasi a colligando, quia ad pedes ligantur.“[4])

Ad difficultates grammaticales solvendas recurrit ad Priscianum v. gr. in illa celeberrima clausula Joannis: „Cum dicitur: Verbum erat apud Deum [c. 1, 1.]; quia dicit Grammaticus . . . propositiones sunt transitivae; ideo haec propositio a p u d importat distinctionem secundum quod praepositio“ est[5]). Non est immemor in etymologia etiam Isidori Hispalensis[6]).

Si quandoque operam dat rebus gestis antiquis ante Christum, allegat: Curtium Rufum, Sallustium, Plutarchum, Lucanum, Terentium, Valerium Maximinum, Gellium et Catonem, si vero post Christum: Eusebium Caesarensem, Josephum Flavium, Rufinum, Aquileiensem, Petrum Comestorem etc.[7])

S. Bonaventuram quantum versatum in iure Romano et Canonico fuisse, nobis demonstrant ipsius opera iuridica-moralia, nec non frequentes citatus eorumdem in suis operibus sparsim relicti. — Isidorum Mercatorem solum quatuor vicibus affert.

His denique omnibus simul sumptis potest haberi quaedam imago de S. Bonaventura, nec non ipsius animum cognoscere quomodo se habet ad quatuor species scripturarum scilicet sacram Scripturam, originalia Patrum, summas Magistrorum, philosophos, rerum naturalium scientiarumque, litterarum, historiae, iurisprudentiae peritos.

[1]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 44. p. 1. a. 1. q. 1. fund. 4.; Alfredus Anglicus, de Motu cordis, c. 7.

[2]) S. Bonaventura, Sermones de Sanctis, de S. Nicolao; (tom. IX. p. 477.); Sermo in Festo O. Sanctorum II.; (tom. IX. p. 601.); de SS. Philippo et Jacobo apost., p. 2.; (tom. IX. p. 531.); Commentar. in Sapient. c. 1., 11.; (tom. VI. p. 115.); Collat. in Joannem c. 8. Collatio. 35. n. 2.

[3]) Cfr. Tomum X. Index Locorum S. Patrum etc. p. 265—277. apud edit. ad Claras aquas.

[4]) S. Bonaventura, Opuscul. XV. Ep. de Sand. Apost. n. 4; (tom. VIII. p. 387.)

[5]) S. Bonaventura, Commentar. in Joan, c. 1., 1.; Priscianus, XIV. Grammat. c. 1. seqq. sed c. 3. de praepositione a p u d agit.

[6]) Cfr. Tom. X. Op. S. Bonav. p. 275.

[7]) V. singulorum nominum locos in tom X. Op. S. Bonav. p. 265—277.

Caput IV.

Qualem indolem doctrina ipsius scholastica exhibeat?

Analysi facta, quomodò S. Bonaventura se habet ad quatuor species scripturarum, secundum ipsius distinctionem[1]), scilicet sacram Scripturam, originalia Patrum, sententias Magistrorum et doctrinas mundalium sive philosophorum, nobis apparet eiusdem Sancti Doctoris: aequalis iustitia, mira prudentia, moderatio, benignitas servata erga omnes. Finis ipsius est **„non novas opiniones adversare, sed communes et approbatas retexere“**[2]) Finis ipsius est non systemata formare, ex quibus dissensus, separationes, regressus loco progressus scientiarum saepe enascuntur, sed communem doctrinam propugnare, evolvere et novis augere. In quaestionibus dubiis difficilioribusque erat valde indulgens erga alios: sequens communiorem sententiam, minime alteram reprobabat, memor semper dicti S. Gregorii Nazianzeni [Oratio 26. n. 27.]: „Turpe enim profecto est, in divinis disputationibus principatum et tyrannidem sibi usurpare nec cuiquam omnino fasces submittere.“ Ubinam autem viderit aliquem proclamare quamdam doctrinam falsam ut certam, eam proscribebat, servato debito honore erga respectivam personam, et hoc ob eam causam faciebet, ne amore hominis veritati fieret praeiudicium. In opinionibus quidem extreme oppositis S. Bonaventura mediam viam eligebat, nam tangere extrema abhorrebat. Hoc enim modo optimo cum successu ille functus est gubernio sui Ordinis, quippe duo extrema spirituum regendorum habuit scilicet rigidos et relaxantes, quos omnes ita gubernavit, ut primis monstraret quid stricte et quid moderate observandum est, secundis vero vice versa. Hac methodo etiam usus est in componenda Ecclesia Graeca cum Latina in concilio Lugdunensi ita ut Graeci pleni admiratione in ipsius modo se gerendi **Eutychium** appellarent.[3])

Ne alicui videatur sermo meus veritati non adaequari, audiendus sit testis ocularis et historicus synchronus concilii Lugdonensis II[i] : Eodem anno et mense, die Dominica, decima quinta eiusdem, hora matutinali obiit clarae memoriae Frater Bonaventura, Albanensis episcopus, qui fuit homo eminentis scientiae et eloquentiae, vir quidem sanctitate praecipuus, vita, commiseratione ac moribus excellentissimis decoratus, benignus, affabilis pius et misericors, virtutibus plenus, Deo et hominibus dilectus, qui sepultus est ipso die dominico in loco Fratrum Minorum Lugduni, cuius exsequiis interfuit dominus Papa cum omnibus praelatis, qui erant in Concilio, et tota curia. Et **Frater Petrus** [de Tarantasia], Ostiensis episcopus, celebravit Missam et praedicavit, proposito themate, scilicet: **Doleo super te, frater mi Jonatha.** [II. Reg. 1, 26.]. Multae lacrymae et gemitus ibi fuerunt. Hanc ei gratiam concesserat Deus, ut quicumque eum videbant, ipsius amore incontinenti caperentur ex corde.“[4])

[1]) S. Bonaventura, In Hexaëmeron Collat. XIX. n. 6.
[2]) „ „ Praeloc. in II. Sent. p. 1.
[3]) P. Editores, Dissert. II., de Vita Seraphici Doctoris, c. 1. n. 3.
[4]) Conciliorum tom. 28. p. 532 seq.

S. Bonaventurae doctrinae scholasticae indoles duo prae se fert, scilicet illuminat intellectum et movet affectum. Itaque inquirens rationem praecipuam Incarnationis, concludit esse reparationem generis humani: „Quoniam . . . hic modus dicendi, etsi non videatur esse ita subtilis, sicut praecedens, plus tamen consonat pietati fidei in hoc, quod auctoritatibus Sanctorum magis concordat et Deum magis honorificat, etiam Incarnationis mysterium magis commendat et affectum nostrum ardentius inflammat.“ [1])

Pro ipso theologia est scientia speculativa et practica, quia illuminat nostrum intellectum habitu fidei et movet affectum ea quae credimus ad exequendum eo fine, ut boni fiamus: „Nam cognitio haec iuvat fidem, et fides sic est in intellectu, ut, quantum est de sui ratione, nata sit movere affectum[2]) . . . Fides elevat ad assentiendum, scientia et intellectus elevant ad ea quae credita sunt intelligenda[3]), sed theologia non solum scientia est, sed etiam sapientia: „quae simul dicit cognitionem et affectum“, ergo „complectitur utrumque.“ [4])

Ille etiam multum amavit studium, quod est „vehemens applicatio animi ad aliquid agendum“ [5]). Cur? quia „facit hominem venire ad sapientiam.“ Quo animo appetendus sit? „Cum summa voluntate debet desiderare studium inveniendi sapientiam qui vult ad illam pervenire.“ Propter quod? „Debet enim homo habere desiderium sublime, ut magnificet Deum; desiderium humile, ut cognoscat se ipsum; desiderium liberale, ut doceat proximum.“

Fundamentum ipsius inquisitionum est: **vetera novis augere:** Norma ipsius doctrinae: **doctrina et sanctitas vitae,** secundum illud: „Et hic est fructus omnium scientiarum, ut in omnibus aedificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes.“ [6])

Attamen ex his non sequitur S. Bonaventuram in omnibus suis opinionibus esse infallibilem . . Hoc ab eo, sicut ab aliis singulis doctoribus excluditur, quia assistentia infallibilitatis in rebus fidei et morum relicta est a Deo soli magisterio Ecclesiae. Apud ipsum nulla sententia s i n g u l a r i s legitur; sed hodie quaedam ut obsoletae apparent[7]). Finis eius erat semper docere veritatem et procurare, quantum fieri potest sua parte, ut eam alii cognoscerent et amarent sive in ordine naturali sive in ordine supernaturali, sicut ipse una vice expresse confessus est: „Si cui autem obiter videtur, et fortassis

---

[1]) S. Bonaventura, III. d. 1. a. 2. q. 2.
[2]) „ „ Proemii in I. Sent. q. 3. in corp.
[3]) „ „ Proemii in I. Sent. q. 2. ad 5.
[4]) „ „ Proemii in I. Sent. q. 3. in corp.
[5]) „ „ sequentem doctrinam tradit v. Sermones de tempore, de S. Nicolao; (tom. IX. p. 477.)
[6]) S. Bonaventura, de Reductione artium ad theol. n. 26.
[7]) V. gr. quaestio in theologia de immaculata Conceptione B. M. V., de qua ait in (III. Sent. d. 3. p. 1. q. 1.): „Nullius conceptionis solemnitatem celebrat Ecclesia nisi Filii Dei in Annuntiatione B. V. Mariae. Sunt tamen aliqui, qui ex speciali devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, quos nec omnino laudare nec simpliciter audeo reprobare.“

melius, non invideo; sed hoc rogo, ut, si quis in explanatione duorum librorum praecedentium et etiam duorum sequentium aliquid in hoc opusculo invenerit approbatione dignum, gratias agat Deo, largitori bonorum. **In aliis vero locis, ubi invenerit vel falsum, vel dubium, vel obscurum, scribentis insufficientiae benigne indulgeat, qui absque dubio, teste conscientia, vera et aperta et communia dicere concupivit. Quidquid enim sit de verbis, quae foliis comparantur, hoc summopere attendo in inquisitione, qualibet observandum, nec quis adeo laetetur in sententia oris sui [Prov. 15, 23], et sic ei inhaereat, ut verba oris alieni despiciat, aspiciens ea oculo minus sano, et sic per tumorem et livorem aditum sibi veritatis praecludat et de numero eorum sit, de quibus dicit Apostolus [2. Tim. 3, 7], quod semper sunt discentes et numquam ad viam veritatitis pervenientes; quod avertat Deus ab omnibus inquisitoribus veritatis".**[1])

S. Bonaventura clare ex his videtur non voluisse systema facere, sed communem veritatem novis suae aetatis scientiarum progressibus evolvere et augere. Proinde ipsius doctrina continuo viget in Ecclesia ac perficitur, quippe ipse dixit: „Non enim intendo novas opiniones adversare, sed communes et approbates retexere."[2])

Caput V.

Quid de gratia et libero arbitrio senserit?

Non est ibi proprius locus disserendi doctrinam S. Bonaventurae singulatim de gratia et libero arbitrio. Hoc enim factum est in corpore et in epilogo dissertationis. Quod hic desideratur, esse puto inquisitionem, utrum in historia dogmatum sensu catholico intellecta S. Bonaventura sua explicatione doctrinae de gratia et libero arbitrio aliquid novi contribuerit?

Scimus ex doctrina revelata praesertim novi Testamenti existere et gratiam et liberum arbitrium. Non solum hoc, sed etiam sana ratio demonstrare potest, homines liberos esse. Sed existentiam solummodo scire veritatum non sufficit theologo. Ei adhuc competit tales

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. in fine p. 1016.

[2]) S. Bonaventura, Praeloc. in II. Sent. p. 1. Cfr. Fr. Isidori a Buscomari, S. Bonaventura Ordinis Minorum Minister Generalis, Romae 1874. p. 154.: „Totius itaque catholicae veritatis acerrimus assertor cuivis erit, atque ipse unus universae theologiae perpetuus et sufficiens magister esse poterit."

Item P. Francisci Mariae da Salerno, O. M., Della Poesia del serafico dottore S. Bonaventura dissertationem. Genova 1874. p. 18.:

„Dirò anche che il suo scolasticismo si distinse da tutti gli altri, apparendo con una nuova forma; cosa che non si avverte se non da chi studia a fondo le sue opere: perocchè nell' idea sempre religiosa che ti porge, oltre alla forza del sillogismo nel renderla manifesta, vi si trova sempre la forza del sentimento."

veritates declarare, quantum fieri potest, quoniam fides quaerit intellectum et intellectus fidem, ut sit rationabile obsequium a nobis eâ Deo praestitum.

Postquam diu operam dedi examini sacrae Scripturae, S. Patrum praesertim Augustini, Prosperi, Anselmi et Bernardi, Conciliorum, Scholasticorum ut Alexandri Halensis, B. Alberti Magni, S. Thomae, Richardi a Mediavilla, Durandi, Duns-Scoti etc. circa hanc rem, tum etiam inquisitionibus criticis eximii domini professoris Jacobi-Laminne in Universitate Lovaniensi adiutus, qui sua manuscripta, benigne dignatus est mihi praestare, ad illam conclusionem in historia dogmatum perveni, quod inter primos theologos in Ecclesia catholica S. Bonaventura eminet, qui clare, diffuse ac resolute de ortu, natura, ambitu, necessitate gratiae actualis, quam ipse gratiam gratis datam nuncupat, locutus est.

Ante S. Bonaventuram sive sacra Scriptura, sive Concilia praesertim Arausicana, sive Patres praeeunte S. Augustino, sive Magistri praeeunte P. Lombardo locuti sunt de gratia actuali modo generali, sed claritas praecisio, longitudo, extensio, applicationes explicationesque S. Bonaventurae in illis nondum apparent.

Quantum mihi persuasum est examinando ambitum in quo S. Bonaventura vigebat, et influxum quem alii in hac materia exercere super eum poterant, concludo, quod in evolvenda doctrina de gratia actuali specialem illuminationem Spiritus sancti habuerit.

Hoc olim etiam Suarez [de Provid. t. 3. disp. 21. sect. 2. n. 19]; de Praedest. 2, 9. n. 4; 20. n. 4.], qui non fuit discipulus S. Bonaventurae, de eodem animadvertit: „Sanctus Bonaventura prae ceteris scholasticis semper constantissimus fuit in asserenda necessitate praevenientis gratiae gratis datae, ut se ipsum homo ad gratiam gratum facientem praeparet, sine qua gratia gratis data quantumcumque homo faciat ex se, nihil proficit ad obtinendam gratiam."

Hoc denuo vidit et Laminne, qui, postquam rigorosum examen de hac re instituerat studio comparativo sacrae Scripturae[1]), S. Patrum[2]), Conciliorum[3]) et Scholasticorum[4]) S. Bonaventurae primum locum ac meritum in hac quaestione agnoscit assignando simul tempus, quando talem doctrinam evolvit: „S. Bonaventura qui Parisiis docebat a 1253 praeter gratiam gratum facientem . . . enumerat gratias actuales . . ."[5])

Hac enim affirmatione nihil auctoritati S. Thomae sive aliorum aufertur, quia S. Bonaventura tum suos Commentarios in quatuor libros Sententiarum (1248—1256), tum Breviloquium (1257) conscripsit antequam S. Thomas suam Summam incepit (1264 seqq.) In suis autem Commentariis in quatuor libros Sententiarum circa gratiam actualem praecipue in II. Sent. d. 28. a. 4. quaedam obscura profert, quae ut

---

[1]) Laminne, de Gratia, fol. 60—63.
[2]) „ „ „ fol. 63—85.
[3]) „ „ „ fol. 85—91.
[4]) „ „ „ fol. 91—147.
[5]) „ „ „ fol. 131.

Caietanus expresse in S. 1. 2. q. 109. a. 6. animadvertit, quod S. Thomas „dicta sua in II. Sent. ad meliorem sensum reducens declarando et addendo“ correxerit.

Fatendum est Alexandrum Halensem multa claraque de gratia gratis data[1]) docuisse, sed S. Bonaventura eius discipulus inclytus longe lateque eum superavit.

1) Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 5. a. 1.—4.; q. 63; p. II. q. 19. m. 2.; q. 90. m. 1. a. 1. (Ed. Coloniae Agrippinae, sumptibus Joannis Gymnici 1622).

Index rerum.

Prima pars.

De gratia in quantum est donum divinitus datum.

Caput unicum. De gratia.

Articulus I. De gratiae existentia.
„ II. De gratiae natura intima.
„ III. De gratiae ortu.
„ IV. De gratiae munere.
„ V. De gratiae divisione.
„ VI. De gratiae definitione.

Secunda pars.

De gratia in comparatione ad liberum arbitrium.

Caput I. De libero arbitrio.

Articulus I. De liberi arbitrii notione.
„ II. De liberi arbitrii essentia.
„ III. De liberi arbitrii activitate.

Caput II. De libero arbitrio cum adiutorio gratiae.

Articulus I. De liberi arbitrii facultate in ordine naturali absque gratia.
„ II. De praeparatione liberi arbitrii ad gratiam.
„ III. De infusione gratiae in animam.
„ IV. De motu liberi arbitrii a gratia.

Caput. III. De effectibus gratiae et liberi arbitrii.

Articulus I. De iustificatione.
„ II. De merito.

Tertia pars.

Caput unicum.

De gratia et libero arbitrio secundum statum naturae integrae.

Articulus I. De necessitate gratiae ante peccatum angelorum.
„ II. De necessitate gratiae ante peccatum protoparentum.

Epilogus.

Conclusiones.

Prima pars.

De gratia in quantum est donum divinitus datum.

Caput unicum.

De gratia.

Articulus I. De gratiae existentia.

In rerum natura causa unica gratiae est Deus[1]). Deus autem gratiam in nos influit per humanitatem Jesu Christi, ut causam coniunctam instrumentalem[2]), per passionem eius, ut causam coniunctam instrumentalem meritoriam[3]), per sacramenta novae Legis, ut causam instrumentalem separatam[4]), ac speciali missione Spiritus sancti per praeviam in adultis dispositionem gratiae gratis datae sive actualis, descensuque demum eiusdem Spiritus per infusionem gratiae gratum facientis in nobis[5]).

Hoc modo quaestio posita omnibus primo aspectu clara apparet. Attamen S. Bonaventura, antequam ad hanc succinctam conclusionem pervenerat, in via ad plures difficultates et graves controversias, quae dirimendae ac resolvendae erant, aggressus est. Petrus Lombardus maximam ansam ei in hac re praebuit. Hic enim magister, qui tanta auctoritate apud omnes illa aetate pollebat, cuius quatuor libri sententiarum in alma universitate Parisiensi, ut textus principalis in scholis tradebantur explicabanturque, primo dixit **idem esse gratiam ac caritatem: „Caritas est motus animi, id est gratia, qua movetur animus ad diligendum“**[6]); **secundo, ipsam caritatem affirmavit esse Spiritum sanctum: „Caritas ergo Spiritus sanctus est, qui Deus est et donum Dei**

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 1. fund. 1. „Divina gratia in gratificatis sive acceptatis a Deo habet esse.“

[2]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 13. a. 1. q. 3.: „Absque dubio in Christo secundum humanam naturam ab ipsius conceptionis primordio fuit gratiae perfecta et consummata plenitudo.“

[3]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 19. a. 1. q. 1. in corp.

[4]) S. Bonaventura, Brevil. p. VI. c. 1.: „Hinc est quod huiusmodi Sacramenta dicuntur gratiae vasa et causa.“

[5]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 15. p. 2. a. unicus. q. 2. in corp.: „Dicendum tam de Filio quam Spiritu sancto, quod **dari** vel **mitti** est dupliciter: vel **simpliciter**, vel **ad hoc**; . . . . per dona gratiaegratum facientis . . ., et cum dantur aliqua dona gratiae gratis datae.“

[6]) P. Lombardus, II. Sent. d. 27. c. 12. (Ed. ad Claras Aquas 1885.).

sive datum, qui dividit singulis fidelibus dona nec ipse dividitur, sed indivisus singulis datur.“[1])

S. Bonaventura autem in tribus diversis locis[2]) explicite se opponit huic doctrinae magistri. Statim ab initio suae oppositionis scholastica contra ipsum methodo procedit rite distinguens: „In hac enim quaestione aliquid est, quod fides determinat, aliquid, quod ratio investigat.“[3]) Fides et Scriptura determinant impossibile esse placere Deo absque dono gratiae; item a pari impossibile esse Deo acceptum fieri et in filium adoptivum assumi absque Spiritu sancto, dono increato.[4]) „Et ideo omnes recte intelligentes, prosequitur S. Doctor, concedunt, **in iustis esse gratiae donum, et credunt etiam, in eis esse donum increatum, quod est Spiritus sanctus. Et hoc a fide et a Scriptura determinatur; et ideo, qui contrarium huius sentiret, esset haereticus.“**[5])

Stabilitis quae fides determinat, transit ad ea quae ratio theologica investigat.

Quod Spiritus sanctus non est essentialiter, sed causaliter caritas in nobis quatuor argumentis probat, scilicet
1⁰ argumento a posteriori;
2⁰ argumento a parte essentiae animae;
3⁰ argumento a parte virtutis eius;
4⁰ argumento a parte operationis ipsius, in fine addens nonnullas proprias observationes.

1.⁰ Argumento a posteriori:

„Necessarium enim est, quod vivificatio et reformatio ab aliquo sit sicut ab efficiente, et ab aliquo sicut ab informante. **Et quoniam nec est possibile nec decens, Deum esse formam perfectivam alicuius creaturae;** ideo praeter donum increatum, quod comparatur ad hos actus tamquam principium effectivum, conveniens est et opportunum ponere donum creatum, per quod anima informetur.“[6]) Necessarium igitur est, quod ista informatio sit a Spiritu sancto tamquam causa efficiente et ab alia qualitate sicut causa informante, quam ille immediate in nos producit et quae ab illo distinguitur.

2.⁰ Argumento a parte essentiae animae, quo probatur caritatem, qua diligimus Deum esse bonum creatum in nobis atque a Spiritu sancto distinctum:

Caritas est bonitas creaturae rationalis, quae perficit animam non sicut **gratia in primo esse gratuito, sed in secundo, scilicet ordinativo in finem ultimum atque meritorium.** Sed cum **gratia,** quae est **principium constitutivum** totius vitae supernaturalis, virtutum infusarum, donorum,

---

[1]) P. Lombardus, I. Sent. d. 17. p. 2. c. 6. (Ed. ad Claras Aquas 1882.).
[2]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 1. a. unicus. q. 1.; II. Sent. d. 26. a. unicus q. 2; III. Sent. d. 27. a. 1. q. 1—4.
[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. in corp.
[4]) „ „ II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. in corp.
[5]) „ „ II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. in corp.
[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. in corp.

beatitudinum fructuumque Spiritus sancti non exclusa ipsa caritate, in se sit donum a Spiritu sancto productum atque distinctum, a fortiori debet esse ipsa **caritas,** quae infunditur simul cum gratia gratum faciente et **quae est principium directivum regitivumque** mediante cuius omnes virtutes, dona, beatitudines, fructus Spiritus sancti operationesque nostrae accipiunt complementum et ad ultimum finem ordinantur. Ergo caritas, qua a parte essentiae animae nostrae diligimus Deum, perfectio in se creata est.[1])

3.⁰ Argumento a parte virtutis animae ostendit necesse esse ponere caritatem, qua diligitur Deus, habitum esse creatum:

Caritas, qua diligitur Deus, est v i r t u s, non tantum quia Deus cooperatur nobis, sed etiam quia nostra voluntas cooperatur Deo. Atqui ut cooperemur Deo, necesse est ei c o n f o r m a r i, quod fieri nequit, nisi **Spiritus sanctus, summa increata caritas prius relinquatur in nobis aliquod exemplatum in affectu voluntatis, per quod moveatur illi conformiter.** Ergo etiam a parte virtutis animae nostrae necesse est ponere caritatem, qua nos diligimus Deum, esse habitum creatum.[2])

4.⁰ Argumento, quo demonstratur etiam a parte o p e r a t i o n i s nostrae necessarium esse ponere caritatem, qua nos per bona opera diligimus Deum, h a b i t u m esse creatum et a persona Spiritus sancti distinctum:

Nullus omnino ad illud summum bonum capax et dignus est ascendere, cum sit supra omnes limites naturae, nisi, Deo condescendente sibi, elevet eum supra potentiam eius. Sed **Deus non condescendit in neminem per sui essentiam nisi per praeviam influentiam ab ipso manantem, quae est habitus deiformis.** Ergo necesse est creaturae rationali, ut capax et digna aeternae beatitudinis eveniatur, quod

---

[1]) S. Bonaventura ex professo longe et late de hoc argumento disserit in I. Sent. d. 17. p. 1. a. unicus. q. 1. et III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 6. praesertim ad 2 et 5. Ne aliquis de nostra sinceritate dubitet, iuvat quaedam excerpta de citatis locis afferre: „A parte e s s e n t i a e . . . caritas est bonitas creaturae rationalis, ipsam perficiens et distinguens et ordinans et disponens ad vitam aeternam; ergo necesse est, quod sit eius formalis perfectio." [I. Sent. d. 17. p. 1. a. unicus. q. 1. in corp.] „Cum autem dicimus, ipsam caritatem esse formam et perfectionem virtutum; hoc non est quantum ad ipsarum p r i m u m e s s e, sed quantum ad b e n e e s s e, videlicet quantum ad perfectionem et complementum meriti" etc. [III. Sent. d. 36 a. unicus. q. 6. ad. 2.] „Praeterea... caritas non est forma et perfectio aliarum virtutum per c o n s t i t u t i o n e m, vel per c o m p o s i t i o n e m, sed potius per o r d i n e m i n f i n e m." [Ibid ad 5.] „Perfectionem autem s i m p l i c i t e r non habet anima nisi in universitate virtutum, in quantum ab una g r a t i a informantur et ab una c a r i t a t e imperantur, mediante cuius adminiculo perducunt ad finem ultimum." [Ibid. ad 1.]

[2]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 1. a. unicus. q. 1. ad 3:

„A parte etiam v i r t u t i s necesse est ponere caritatem habitum creatum. Nam caritas, qua diligimus Deum, est virtus, non tantum quia Deus cooperatur nobis, sed etiam quia nostra voluntas cooperatur Deo: A d i u t o r e s e n i m D e i s u m u s [1. Cor. 3, 9.]; et quia, cum cooperamur Deo, **necesse est nos sibi conformari, necesse est, quod ab i l l a s u m m a c a r i t a t e r e l i n q u a t u r i n n o b i s a l i q u o d e x e m p l a t u m in nostro affectu, per quod moveatur illi conformiter.** Voluntas enim libera est et nata moveri ad opposita: et ideo ponitur virtus caritatis creatae in nobis, non propter defectum a parte Dei nobiscum operantis, sed voluntatis **nostrae sibi cooperantis.**"

particeps fiat influentiae deiformis eique fideliter usque ad finem vitae huius cooperetur.[1])

His argumentis praemissis, quae primam partem huius quaestionis pulchre et in sensu catholico perfecte resolvunt, S. Bonaventura insuper facit nonnullas proprias observationes, quibus clare ostendit, suam positionem, quae docet qualitatem illam, qua diligimus Deum, esse distinctam a persona Spiritus sancti, praeferendam esse priori, utpote in se **securiori** et **rationabiliori** apparet.

Est **securior,** quia apprime „consonat communitati magistrorum et verbis expositorum et pietati fidelium . . . Quis enim secure audeat negare, in nostra gratificatione aliquod donum creatum nobis a Deo conferri?“[2])

Est **rationabilior,** quia „rationabiliter tales actus et effectus non possunt cogitari in nobis esse, quin sint ab aliquo sicut **efficiente,** et ab aliquo sicut **informante.** Quomodo enim actus verus reformationis et vivificationis erit in anima, nisi sit aliqua forma complens, a qua anima informetur?“[3])

Postremum S. Bonaventura, servata debita reverentia erga Petrum Lombardum, ne amore hominis veritati fiat praeiudicium, eiusdem sententiam sollemniter proscripsit: **„Quod caritas, quae est amor Dei et proximi, non sit aliquid creatum sed increatum.“**[4])

Nec minus scientifice in secunda parte huius quaestionis procedit contra eos, qui cum Petro Lombardo[5]) non haesitarunt affirmare **gratiam ac caritatem idem esse per essentiam, neque inter se alia distinctione diferre quam illa relationis.**[6])

Circa hanc solutionem, antequam de illa directe acturus est, sequentem observationem ponit. „In vita naturae, ait, **vivere** dicitur **dupliciter:** uno modo, prout est **actus primus,** alio modo, prout est **actus secundus;** et primo modo est **ab animae essentia,** et secundo modo **ab animae potentia:** sic intelligendum est in **esse moris,** qnod **vivere,** prout est **actus primus,** est **ab ipsa gratia vivificante** [sanctificante] ipsam animam totam; sed prout est **actus secundus,** est

---

[1]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 1. a. unicus. q. 1. ad 6:
„A parte etiam operationis ponitur necessitas, quia reformatio sive recreatio, unio et dilectio non tantum sunt ab aliquo ut ab efficiente, sed etiam ut ab informante. Informans autem caritas creata est; et ex hoc patent obiecta ex parte actus sive operationis.“ — Brevil. p. V. c. 1.: „Cum primum principium productivum pro sua benevolentia fecerit spiritum rationalem capacem beatitudinis aeternae; et reparativum principium capacitatem illam infirmatam per peccatum reparavit ad salutem . . .
Nullus omnino ad illud summum bonnm dignus est pervenire, cum sit omnino supra omnes limites naturae, nisi, Deo condescendente sibi, elevetur ipse supra se. **Deus autem non condescendit per sui essentiam** incommutabilem, sed per **influentiam** ab ipso manantem . . . Necesse est igitur spiritui rationali, ut dignus fiat aeternae beatitudinis, quod **particeps fiat influentiae deiformis“ etc.**

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. in corp.

[3]) „ „ II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. in corp.

[4]) „ „ Praelocutio in II. Sent. p. 2. col. a.

[5]) P. Lombardus, II. Sent. d. 27. c. 12.: „Caritas est motus animi, id est gratia, qua movetur animus ad diligendum.“ — S. Bonaventura, III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. in corp.

[6]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. in corp.

ab ipsa virtute.“[1]) Sed **virtus** dicitur **ad esse, ad bene esse, et ad bene operari.**[2]) Ergo „si loquamur de virtutibus quantum **ad esse,** concludit S. Doctor, sic quaelibet **virtus** habet in se ipsa **propriam formam** [habitum substratum], per quam distinguitur ab alia, ut fides a spe. Si autem loquamur de ipsis quantum **ad bene esse,** sic informantur **a gratia,** quae facit ipsas **gratuitas et Deo acceptas.** Si loquamur de virtutibus quantum **ad bene operari,** sic informantur **a caritate,** quae est pondus inclinans et faciens tendere operationes omnium virtutum ad bonum finem. Et sic alio modo **informat gratia,** alio modo caritas; et propterea non sequitur, **quod inter caritatem et gratiam nulla sit essentialis differentia.**“[3])

Ratio praedictorum est, quoniam utrum gratia a caritate sola relatione vel ratione vel essentiali distinctione differratur an non, a priori nobis non constat. Debemus a posteriori hoc probare, scilicet per diligentem observationem **obiecti** et **actuum** tum gratiae quam caritatis. Atqui „to“ esse gratiae et „to“ esse virtutis habitus infusi caritatis inter se **realiter** differunt tum ratione **obiecti** tum ratione **actuum:**

1.[0] Quoniam in homine iustificato potest unice adesse **una gratia gratum faciens**[4]); **habitus** virtutum infusarum sunt **multi**[5]): ergo „to“ esse gratiae et „to“ esse virtutis habitus infusi caritatis **realiter** inter se differunt.

Probatur maior: „Et ex parte **principii effectivi** et ex parte **subiecti** et ex parte **finis ultimi** et ex parte **finis primi** et etiam **intermedii.** — Ex parte **principii effectivi,** quoniam gratia est influentia a Deo procedens in ipsam animam, secundum quam Deus totam animam sibi assimilat. Unde quia unius rei una est similitudo, in una anima una reperitur gratia procedens ab effectivo principio. — Ex parte **subiecti** similiter necesse est, gratiam gratum facientem esse unam, pro eo quod gratia comparatur ad animam sicut principium dans ei vitam in **esse secundo.** Et quoniam unius vivificabilis una est vita sive principium vivificans [Aristot., I. de Anima, text. 89. seqq. (c. 5.)]; hinc est, quod in una anima una tantum debet esse gratia. — Ex parte vero **finis** tam **primi** quam **ultimi** quam etiam **intermedii** ratio sumitur. Gratia enim est ad hoc, ut faciat hominem Deo acceptum; est etiam ad hoc, ut per ipsam perveniat homo ad unum et summum bonum; est etiam ad hoc, ut opus a libero arbitrio egrediens sit meritorium apud Deum. Quoniam igitur Deus non acceptat hominem secundum quid, sed si acceptat, totum acceptat . . . hinc est, quod necesse est

---

[1]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. ad 3.
[2]) „ „ III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. ad 1.
[3]) „ „ III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. ad 1.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. in corp.: „Dicendum, quod in una anima unam tantum est ponere gratiam gratum facientem.“
[5]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. in corp.: „Quod enim diversitas sit in potentiis animae et ipsarum habitibus manifestat ipsa diversitas actuum et obiectorum.“

ponere, in uno homine gratiam esse unam, exigente hoc comparatione ad principium effectivum et ad subiectum et ad finem immediatum, medium et ultimum.“ [1])

Probatur minor ex imagine recreationis:

„Imago **recreationis** respondet imagini **creationis**; sed ad imaginem creationis non solum requiritur potentiarum pluralitas, sed etiam essentiae unitas, ad quam reducatur illa pluralitas: ergo et in imagine recreationis necesse est ponere **aliquem habitum unum**, in quo uniantur omnes habitus virtutum; hic autem non est nisi gratia gratum faciens: ergo[2]) gratia et caritas **realiter** inter se differunt.

2.⁰ Gratia est perfectio animae **simpliciter**, caritas vero **secundum quid**. Sed perfectionem **simpliciter** anima non habet nisi in universitate virtutum, in quantum ab una gratia informantur et caritate utpote gratiae potentia directiva imperantur afferendo ad ultimum finem: ergo **gratia**, quae est perfectio animae **simpliciter**, et **caritas**, quae est perfectio animae **secundum quid**, scilicet respectu earum specialis actus et obiecti **in genere potentiae** essentialiter differunt.[3])

3.⁰ Sicut anima et eius potentiae propter mutuam circumincessionem et concomitantiam supra se invicem et mutuo convertuntur et reflectuntur, ita similiter gratia cum caritate. Sed hoc fit, non quia omnino idem sint, sed quia, cum sint in eodem, ut possint converti et reflecti super illud, in quo sunt, ita e. g. anima intelligit se et amat se: ergo sicut anima et eius potentiae, quamvis inter se circumincidantur et reflectantur, in genere potentiae realiter differunt, ita similiter gratia et caritas.[4])

4.⁰ Caritas non est forma et perfectio aliarum virtutum **per constitutionem**, vel **per compositionem**, sed **per ordinationem ad finem.** Sed alio modo virtutes infusae **informantur a gratia** gratum faciente, alio modo sunt in se **perfectiones**, et alio modo **a caritate perficiuntur:**

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. in corp.

[2]) „ „ II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. fund. 4.

[3]) „ „ III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 6. ad. 1: „Est perfectio **simpliciter** et est perfectio **secundum quid.** [Aristot. V. Metaph. text. 21. (IV. c. 16.)] Quaelibet autem virtus perfectum facit, **secundum quid** tamen, quia respectu specialis actus et obiecti. Perfectionem autem **simpliciter** non habet anima nisi in universitate virtutum, in quantum ab una **gratia** informantur et ab una **caritate** imperantur, mediante cuius adminiculo perducunt ad finem ultimum . . . Perfectioni enim **secundum quid** superaddi potest perfectio **simpliciter.**“

[4]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. in corp.:

„Quod enim diversitas sit in potentiis animae et ipsarum habitibus, manifestat ipsa diversitas actuum et obiectorum. Et propterea, cum una virtus denominat alteram, vel actus unius attribuitur alteri, hoc non est intelligendum fieri propter omnimodam ipsorum habituum indifferentiam, sed propter mutuam circumincessionem et concomitantiam; sicut dicimus de potentiis animae, quod se invicem circumincedunt, et supra se mutuo reflectuntur, non quia omnino idem sint, sed quia, cum sint in eodem et possint reflecti super illud, in quo sunt — quia anima intelligit se et amat se — per consequens et super se invicem reflectuntur. Et propterea, quia reflexio non tantummodo fit propter omnimodam indivisionem convenientiae, verum etiam propter circumincessionem concomitantiae; ideo non cogimur ponere, nec potentias animae nec habitus, secundum id quod sunt, ad invicem non differe.“ Cfr. infra d. 33. q. 2. et II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. in corp.

informantur enim a gratia, quoniam gratia est forma **constitutiva** ipsarum virtutum infusarum, dans eis **complementum in essendo; perfectiones,** inquam, sunt, in quantum subiectum suum qualificant habilitando ad actum sibi debitum; **perficiuntur** autem, in quantum a caritate imperantur et per eius imperium et adminiculum perfectius in finem ordinantur: ergo gratia gratum faciens, virtutes infusae, caritas non sunt idem, sed in ordine potentiae quatenus sunt instrumenta operationum meritoriarum et supernaturalium inter se realiter differunt.[1])

5.º Forma non formatur, secundum quod est forma, nec perfectio perficitur, secundum quod est perfectio, sed secundum quod in se habet aliquam informitatem et aliquam imperfectionem. Sed cum aliae virtutes infusae **de se** seu de suo **habitu substrato** aliquam informitatem et imperfectionem habeant, perficiendae sunt a gratia, et per caritatem ad maius complementum perducendae: ergo merito ex ipsa natura earum concluditur eas in ordine potentiae operationis essentialiter inter se differre.[2])

6.º Ideo a Paulo [1. Cor. c. 13] dicitur caritas esse donum excellentissimum, quia numquam a gratia instar aliarum virtutum donorumque supernaturalium separatur, multo minus informis redditur, sed magis immediate se habens ad eam, eique simul **potentiam directivam** superaddens ceteras virtutes ad finem movet easque in summa perfectione Dei quietat.[3]) Sed haec omnia nullum praeiudicium expositis argumentis ferrunt, sed magis ea confirmant et stabiliunt: ergo probabilior esse videtur sententia S. Bonaventurae, qua admittitur **essentialem distinctionem** inter gratiam gratum facientem et caritatem vigere.

Non solum gratia gratum faciens realiter distinguitur a persona Spiritus sancti, a caritate, sed etiam ea ipsa in se considerata est aliquod donum supernaturale a Deo in anima **c o n c r e a t u m.**

S. Bonaventura hanc conclusionem hisce rationibus ostendit:

1.ª „Nulla anima placet Deo, nisi Deo conformetur et assimiletur per gratiam informantem ipsam et efficientem deiformem; sed gratia

---

[1]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 6. ad 5.:

„Caritas non est forma et perfectio aliarum virtutum per **constitutionem,** vel per **compositionem,** sed potius **per ordinem in finem.** Unde virtutes alio modo sunt **perfectiones,** et alio modo a caritate **perficiuntur:** perfectiones, inquam, sunt, in quantum subiectum suum qualificant habilitando ad actum sibi debitum; **perficiuntur** autem, in quantum a caritate imperantur et per eius imperium et adminiculum perfectius in finem ordinantur."

[2]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 6. ad. 4.

„Forma non formatur, secundum quod forma, nec perfectio perficitur, secundum quod perfectio, sed secundum quod in se habet aliquam informitatem et aliquam imperfectionem. Et quia aliae **virtutes,** quantum est **de se, informitatem aliquam habent et imperfectionem** nec sunt in ipsis potentiae ultimatae; **ideo perfici habent et ad maius complementum perduci per gratiam et caritatem."**

[3]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. ad 2;

. . . „Nunquam caritas separatur a gratia, quamvis ab ea possint separari alia dona gratuita [v. I. Sent. d. 17. p. 1. dub. 4.]; et ideo dicitur donum excellentissimum esse inter cetera . . . Et propterea non sequitur, quod ipsa nihil addat ultra gratiam . . . Ibid. d. 36. a. unicus. q. 6. ad 4. et ad 3.

animam informans et Deo conformans non potest esse nisi gratia creata: ergo nulla anima Deo placet, nisi **gratiam creatam** in se habeat."[1])

2.ª „Meritum dicit ordinationem ad aliquod maius per aliquod, quod reddit Deo acceptum; sed quod reddit acceptum non potest esse sine gratia, quod vero ordinatur ad maius non potest esse nisi **creatum**: ergo meritum non est nisi per donum gratiae creatae."[2])

3.ª „Christus habuit duas voluntates, creatam scilicet et increatam, et constat, quod utraque fuit perfecta; sed perfectio voluntatis creatae est per gratiam creatam, quae, inquam, dicitur gratia singularis personae: ergo in Christo non tantum gratiam increatam, sed etiam **creatam** necesse est ponere."[3])

4.ª „Si enim gratiae est **recreare** et **reformare** et **vivificare**, et sic de aliis, cum omnis talis actus sit ab aliquo, sicut a principio formali — non enim est recreatio nec reformatio nec vivificatio, et sic de aliis, sine forma — necesse est, aliquod donum poni in anima, quod sit ipsius animae informativum. Sed Deus nullius potest esse forma **perficiens**, quamvis possit se habere in ratione formae **exemplaris**: ergo praeter donum increatum, quod Deus est, ad hoc quod anima gratificetur, necesse est ponere donum **creatum**."[4])

5.ª „Item, hoc videtur **rationibus ducentibus ad impossibile**, quarum prima haec est: aut gratia gratum faciens ponit **aliquid** creatum in gratificato, cum Deus de non-grato facit gratum, aut **nihil**. Si **nihil**: ergo nulla fit mutatio ex parte creaturae gratificatae: ergo fit mutatio ex parte gratificantis, quod est impossibile. — Et **iterum**, si nihil creatum poneret, non esset melior ille qui est Deo gratus, quam ille qui non est gratus. Si igitur hoc est impossibile ponere, quod gratus Deo non sit melior quam non-gratus; et impossibile est, quod sit melior, nisi aliquam bonitatem habeat, quam alter non habet; et haec non potest esse nisi quid creatum: necesse est, quod gratia aliquid creatum ponat in gratificato. Si igitur ponit aliquid creatum, aut est **donum sive aliquis habitus, aut est actus sive doni usus.** Si est **donum** et **aliquis habitus**, habeo propositum, scilicet quod gratia in gratificato ponit aliquod donum creatum. Si vero est **actus vel usus**, ergo non plus erit in gratificato quam in non gratificato, nisi quando operatur: ergo non erit gratia in parvulis baptizatis et in iustis dormientibus magis quam in non baptizatis et in hominibus peccatoribus. Quod si hoc est falsum et alienum a fide, necesse est, gratiam aliquod donum creatum in gratificato ponere."[5])

6.ª „Dicitur enim primae ad Corinthios duodecimo [v. 4.]: **Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus**; sed non est divisio doni increati: ergo doni creati . . . **Quodsi dicas**, auctoritatem istam debere intelligi non de gratia gratum faciente, sed de gratia gratis data;

---

[1]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 13. a. 1. q. 1. fund. 2.
[2]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 1. q. 1. fund. 3.
[3]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 1. q. 1. fund. 4.
[4]) „ „ II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. fund. 2.
[5]) „ „ II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. fund. 3.

obiicitur tunc per verbum Augustini ad Bonifacium[1]) dicentis: »Gratia meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici« Circa igitur istud donum consistit meritum et augmentum; sed augmentum non consistit nisi circa donum creatum, meritum autem non consistit nisi circa donum gratiae gratum facientis: ergo gratia gratum faciens est quid creatum. **Quodsi dicas,** augmentum illud attendi in gratia non secundum id quod est, sed secundum effectum; adducitur ad hoc auctoritas Magistri in littera[2]) . . . »Et si diligenter intendas, nihilominus tibi demonstratur, quae sit ipsa gratia voluntatem praeveniens et praeparans, scilicet fides cum dilectione.« Si ergo fides est donum creatum, restat, quod et ipsa gratia voluntatem praeparans donum creatum est.“[3])

S. Bonaventura, ut clare et distincte stabiliret determinaretque existentiam unius principii vitae supernaturalis in homine, quod ab eo gratia gratum faciens vocatur, reformavit antiquorum conceptum gratiae gratum facientis, ostendendo contra Petrum Lombardum:

1.⁰ quod **caritas,** qua diligitur Deus, **non sit persona Spiritus sancti,** sed **habitus infusus** supernaturalis;

2.⁰ quod **talis habitus** supernaturalis **essentialiter differrat a gratia gratum faciente,** quae est unum et unicum principium **constitutivum** vitae supernaturalis;

3.⁰ quod istud **principium,** per quod anima **informatur,** in se sit donum **creatum,** non autem increatum.

Articulus II. De gratiae natura intima.

S. Bonaventura, postquam invenit assignavitque existentiam gratiae gratum facientis, scilicet id **quod in se est,** pergit ulterius ad exhibendum ipsius naturam intimam, nempe id **quid est.** Quaerit hoc sensu gradatim utrum sit **substantia** an **accidens, virtus** sen **habitus** an **actus?**

Antequam de prima parte quaestionis directe acturus est, circa eamdem quasdam animadversiones praemittit.

Experientia quotidiana nos docet et ratio humana super eam reflectens demonstrat **unum** adesse homini **esse; duplicitatem subiecti sive in essendo sive in operando** ab eo excludi. Apparentiae quidem corporales in homine continuo plus minusve iuxta leges physiologicas mutantur, principium intrinsecum individualitatem humanam in uno subiecto constituens semper sibi constans sine mutatione persistit.[4])

[1]) S. August., Epist. 189. (alias 205.) n. 2. sententialiter; at verbotenus Epist. 186. (alias 106.) Alipii et Augustini ad Paulinum, c. 3. n. 10.; Editio Operum S. Augustini opera et studio Monachorum O. S. B. e. Congr. S. M.; Venetiis 1759—1769.

[2]) P. Lombardus, II. Sent. d. 26. c. 3.; August., Epist. 186. c. 3. n. 10. seq.; (t. II. col. 868.)

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus q. 2. fund. 1.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 18. a. 2. q. 1. fund. 4.:

„Quia, si eadem anima est in multis hominibus, cum unus sit sciens, alter ignorans, unus bonus, alter malus, unus etiam odiat alterum; sequitur tunc, quod duo contraria erunt in eodem subiecto secundum numerum, et idem ipsum contrariabitur sibi ipsi. Quodsi hoc est impossibile [Aristot., II. Periherm. c. 4. (14): Simul autem non contingit eidem inesse contraria.], restat, quod et illud ex quo sequitur, scilicet unam et eandem animam esse in pluribus.“

Estne tale eius **esse** talisque ipsius **individualitas** capax ulterioris **accidentalis** perfectionis ab Ente supremo?

Ratio humana experientiâ vitae innixa non repugnat, immo **capacitati accidentali** ulterioris progressus in perfectione **per accessum** sive elevationem **ad Summum**, mediante aliquo dono creato a Deo nobis gratis indito, suadet.[1]) **Duplex** est in natura rerum **simplicitas**: materialis et spiritualis. Materialis viget in corpusculis minimis et quasi indivisibilibus; spiritualis vero in summa perfectione spiritualitatis. Prima magis perfecta efficitur per divisionem vel sectionem ulteriorem; secunda quidem per accessum ad Summum perfectionis unitatis indivisibilitatisque spiritualis. Prima convenit materiae, secunda spiritui. Prima crescit sectione, secunda approximatione ad Summum indivisibilitatis.[2]) Sed **anima rationalis est forma**, in sensu spirituali **perfectibilis et beatificabilis**[3]); aliis verbis nihil ei repugnat, quin a summ a Simplicitate spirituali adhuc simplicior et perfectior per aliquod accidens creatum sibi inhaerens reddatur, quod gratia gratum faciens nuncupatur, quaque simul fit particeps divinae naturae et summae simplicitatis.[4]) S. Bonaventura enim rationem affert sequentem: „Cum primum principium **productivum** [Deus] pro sua summa benevolentia fecerit spiritum rationalem **capacem** beatitudinis aeternae; et **reparativum** principium [scil. Jesus Christus] capacitatem illam infirmatam per peccatum reparavit ad salutem. — Necesse est igitur spiritui rationali, ut **dignus** fiat aeternae beatitudinis, quod **particeps** fiat **influentiae deiformis.** Haec autem **influentia deiformis**, quia est a Deo et secundum Deum et propter Deum, ideo reddit imaginem nostrae mentis conformem beatissimae Trinitati non tantum secundum ordinem **originis**, verum etiam secundum rectitudinem **electionis** et secundum quietudinem **fruitionis.** Et quoniam qui hoc habet immediate ad Deum reducitur, sicut immediate ei conformatur; ideo donum illud immediate donatur a Deo tamquam a principio **influxivo**; ut, sicut immediate emanat a Deo Dei **imago**, sic immediate manat ab ipso Dei **similitudo**, quae est divinae imaginis perfectio deiformis, et ideo dicitur, imago **recreationis.**"[5])

Sed in homine **unica est forma substantialis anima**; praeter ipsam aliam in eodem individuo haberi impossibile esse metaphysice constat.

---

[1]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2. in corp.: **„Caritatem non augeri virtute propria, sed divina** Idem enim est principium augendi et generandi [Aristot., II. de Anima, text. 34—50 (c. 4.)]. **Unde sicut a solo Deo habet ortum, ita et augmentum.**"

[2]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2. ad 3: **„Caritas [sive gratia gratum faciens] augmentata non est magis composita, immo magis simplex; et hoc patet sic: quia contrario modo est in quanto molis et in quanto virtutis. In quanto molis simplicissimum est minimum, ut punctus; et ideo in hoc genere quanti accessus ad simplicitatem est per diminutionem, recessus . . . per additionem. In quanto vero virtutis simplicissimum est maximum; et ideo accessus ad simplicitatem est per additionem; et hinc est quod caritas augmentata est purior et simplicior et Deo similior.**"

[3]) S. Bonaventura, Breviloq. p. II. c. 9.: „Est igitur anima rationalis **forma beatificabilis.**"

[4]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2. ad 3.; Breviloq. p. V. c. 1.

[5]) S. Bonaventura, Breviloq. p. V. c. 1.

Cum autem altera ex parte a Deo gratia gratum faciens in nos infunditur, non potest esse quod sit **substantia aut forma substantialis**, sed **accidentalis**, quia participatio divinae naturae, quae est gratia gratum faciens, imperfectiori modo habet esse in anima, quam anima in se ipsa subsistit.[1])

His praemissis, S. Bonaventura hisce argumentis ostendit, quod **gratia gratum faciens non sit substantia sed accidens.**

1.⁰ „Omne quod **advenit** substantiae iam **completae**, est **accidens**; sed gratia advenit substantiae iam completae, scilicet animae rationali: ergo gratia est accidens.“[2])

2.⁰ „Quod »adest et abest praeter subiecti corruptionem est accidens« [Aristot., I. Topic. c. 4.; Porphyr., de Praedicab. c. de Accidente]; sed gratia est huiusmodi, sicut patet, quia multi iusti efficiuntur peccatores, et e converso: ergo gratia est accidens.“[3])

3.⁰ „Omne quod recipit magis et minus, est accidens; sed gratia recipit magis et minus, quia maior est in uno quam in altero, et in eodem ipso secundum diversa tempora magis intenditur: ergo gratia est accidens.“[4])

4.⁰ „Praeterea, aut **gratia** est **substantia,** aut **accidens.** Si est **accidens,** habeo propositum; si **substantia**: aut substantia-**materia,** aut substantia-**forma,** aut substantia-**compositum** [Aristot., II. de Anima, text. 2. et 25. (c. 1. seqq.) et XII. Metaph. text. 14. (XI. c. 3.)]. **Substantia-materia** non, hoc constat; **substantia composita** non, quia tunc non esset animae unibilis; **substantia-forma** non, quia tunc ex gratia et anima fieret unum per essentiam: ergo si non est substantia, restat, quod est **accidens.**“[5])

5.⁰„Item, si est substantia; aut corporalis, aut spiritualis. Non corporalis, hoc constat; si spiritualis, aut Deus, aut Angelus, aut anima rationalis; sed constans est, quod gratia creata nec est Deus, nec est Angelus, nec rationalis anima: ergo restat, quod gratia creata sit in genere accidentis.“[6])

6⁰ „Nulla substantia est habitus; sed gratia est **quidam habitus** animam decorans et ornans . . .: ergo gratia non est substantia.“[7])

Naturam autem huius accidentis sequentibus verbis declarat: „Notandum est, quod est aliquod **accidens,** quod comparatur ad aliquid, sicut **ad subiectum et causam**; aliquod solum comparatur ad aliquid

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 1. fund. 3: „Gratia gratum faciente efficitur quis dignus superna beatitudine; sed omnis dignitas aliquid ponit in eo in quo est: ergo dignitas retributionis aeternae aliquid ponit in eo qui dignus est; hoc autem non est nisi gratia: ergo“ gratia gratum faciens non est substantia in homine.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. fund. 1.; cfr. Porphyr., de Praedicab. c. de Communitatibus et differentiis generis et accidentis.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. fund. 2.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. fund. 3.; cfr. Porphyr. de Praedicab. c. de Communitatibus et differentiis generis et accidentis; c. de Com. et diff. differentiae et accidentis; et c. de Com. et diff. speciei et accidentis.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. fund. 4.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. fund. 5.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. fund. 6.

sicut **ad subiectum,** et ad aliud sicut **ad causam:** verbi gratia, nigredo in comparatur ad ipsum corvum, sicut ad subiectum et causam; lumen in aëre, vel species in speculo comparatur solum sicut ad subiectum, non sicut ad causam, quia, etsi ibi recipiatur, aliunde tamen habet ortum.

Tale autem **accidens,** quod comparatur ad aliquid sicut **ad subiectum,** et ad aliud sicut **ad causam,** potest esse sub triplici differentia. Quoddam enim est, quod habet ortum **ab inferiori**; quoddam, quod habet **ortum a pari**; quoddam, quod habet ortum **a superiori**: sicut **ab inferiori,** ut species lapidis in oculo, vel etiam in intellectu nostro; sicut **a pari,** ut similitudo speculi in speculo; sicut **a superiori,** ut lumen in aëre illuminato. — Tale autem **accidens,** quod habet ortum **a superiori,** in quantum accidens est, complementum est, non quantum **ad esse primum,** sed quantum **ad esse secundum.** Quia vero a superiori est, habet **nobilitare** subiectum in hoc, quod iungit ipsum et conformat ei quod est ipso superius. Et si sit tale accidens, quod ortum habet ab ente primo supremo; si eius infusio vel origo sit secundum perfectam influentiam non solum habet **nobilitare,** verum etiam **consummare** et **quietare**; et hoc non facit tantum ratione sui, verum etiam ratione eius, a quo procedit, in quo reperitur omnis perfectio et bonorum omnium aggregatio, ac per hoc completa beatitudo."[1])

Si magis concrete applicentur hae declarationes philosophicae **de accidente,** quod habet ortum **a superiori,** ad explicandam **inhaerentiam** gratiae gratum facientis, quae est vere **tale accidens** productum a Deo in nobis: „Dicendum, addit S. Bonaventura, quod per se inest **in genere subiecti,** sed non per se **in genere causae.** Et quia per se inest in genere **subiecti,** ideo non est quaerendum aliud subiectum, cui per prius insit. Quia vero non inest per se in genere **causae,** ideo non inest omni animae nec ex principiis animae habet originem; ideo quodam modo habet naturam accidentis inhaerentis **per se,** quodam modo naturam accidentis inhaerentis **per accidens."**[2])

Nihilominus etsi gratia gratum faciens in se sit accidens purum inhaerens cuidam disposito subiecto, est tamen **nobilior digniorque ipsâ animâ** in quantum secum importat **participationem divinae naturae,** non autem quantum **ad modum essendi.**[3])

Cum autem **per se** insit **in genere subiecti,** manifestum est, quod praeter ipsum non potest subsistere. Et si forte, proh dolor! contingeret, quod idem subiectum faciem suam per gravem culpam a Deo avertisset, eo instanti **memoratum subiectum desinit esse in actu secundum illud accidens.**[4])

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. in corp.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. ad 6.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. ad 1.: „Quod gratia dicatur nobilior anima et perfectio animae, hoc non est ratione sui tantum, sed quia unit bono increato."

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 4. ad 5: „Anima per peccatum se avertente et Deo cessante influere, necesse est, gratiam in se ipsa deficere." Collat. de septem donis Spiritus sancti, Collat. I. n. 5. et 6.

Huius rei eventus, praeter argumenta allata, adhuc manifestius ostendit: **naturam intimam** gratiae gratum facientis consistere **in forma accidentali**, quae animae inest **in genere subiecti, non autem causae**, quippe nec inest omni animae nec ex principiis eiusdem originem ducit sed a solo beneplacito et misericordia Dei.[1])

Porro cum gratia gratum faciens in sua natura intima non sit substantia, sed accidens, quaeritur, utrum praedictum **accidens** sit **virtus seu habitus** an **actus?**

Fuerunt nonnulli ex antiquis, ut **Isidorus Hispalensis**[2]), qui docuerunt gratiam gratum facientem esse idem secundum rem ac virtutem gratuitam vel **habitum** supernaturalem, ut **Praepositivus**[3]), **Alexander Halensis**[4]), **B. Albertus Magnus**[5]), differe tantum secundum rationem, id est formaliter.

S. Bonaventura conceptum gratiae Isidori Hispalensis hoc modo criticat: „Illa notificatio vel **non est propria**, vel **si est propria**, non eo modo convenit **virtuti**, quo dicitur **de gratia**; gratia enim est sicut **donum primum et excellentissimum** inter dona creata, et sicut donum, quod complectitur totam bonitatem donantis. Sic autem intellecta hac notificatione, **non competit virtuti.**[6]) Proinde gratia gratum faciens magis dicit quam virtus. Gratia gratum faciens **diversa est** a virtutum habitibus, qui una gratia fiunt gratuiti.[7]) Gratiam gratum facientem **essentialiter differre** et virtutes gratuitas ex sequentibus argumentis constat:

1. „Anselmus de Concordia praedestinationis et liberi arbitrii: »Rectitudinem voluntatis nullus habet, nisi Dei gratia praeveniente«; sed virtus non est aliud quam rectitudo voluntatis: ergo virtus est a gratia praeveniente. Sed in creaturis differt effectus a causa per essentiam: ergo virtus gratuita **essentialiter** differt a gratia."[8])

---

[1]) S. Bonaventura, Breviloq. p. V. c. 2.; Collat. de septem donis Spiritus sancti, Collat. I. n. 4.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.; Isidorus Hispalensis, II. Differentiarum (de Differentiis rerum); alias: de Differ. spiritual. c. 32. (alias 27.) n. 115: „Gratia autem est divinae misericordiae donum gratuitum, per quod et bonae voluntatis initium et operis promeremur effectum."; Ed. Romae 1802, t. V. p. 101.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.; B. Albertus, Summae p. II. tr. 16. q. 98. m. 3. ait: **„Praepositivus et alii antiqui magistri sic definierunt eam: Gratia est habitus infusus, divinae bonitati et caritati similis, gratum faciens habentem et opus eius gratum reddens."** [Editio Parisiensis curâ et studio A. Borgnet].

[4]) Alexander Halensis, Summae p. III. q. 61. m. 2. a. 4. in corp. et a. 6. circa finem.

[5]) B. Albertus, S. p. II. tr. 16. q. 98. m. 3.: **„Gratia es habitus mentis universaliter totius vitae ordinativus."**

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. ad 2.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. in corp.: „Una est gratia, a qua omnes virtutes animae dicuntur esse gratuitae."

[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. fund. 1. Verba Anselmi leguntur op. c. q. 3. c. 4.: „Sicut ergo illam [rectitudinem] nullus accipit, nisi gratia praeveniente, ita nullus eam servat, nisi eadem gratia subsequente." Minor delibata est ex Aristot., II. Magnor. Moral. c. 9. (c. 8.): **„Causa et cuius est causa, aliud est;"** Ed. Acad. R. B. vol. II., Ethicon megalon B. 8, 1207b 7.

2. „Quaecumque sic se habent, quod unum est medium operandi respectu alterius, illa differunt per essentiam, quia nihil creatum agit se ipso; sed gratia in opus bonum et in actum determinatum movet **mediante virtute**: ergo gratia et virtus gratuita differunt **per essentiam.**“[1])

3. „Quaecumque sic se habent, quod unum illorum habet actum continuum, et reliquum habet actum interpolatum, illa differunt per essentiam; sed gratia et virtus sunt huiusmodi, quia gratia est in actu continuo — continue enim vivificat et animam Deo reddit acceptam — virtus vero non est continue in ipso actu: ergo essentialiter differunt.“[2])

4. „Quaecumque sic se habent, quod habent **diversas differentias dividentes**, ilta differunt per essentiam; sed gratia dividitur per praevenientem et subsequentem, virtus vero per cardinalem et theologicam: ergo differunt per essentiam.“[3])

5. „Quaecumque sic se habent, quod **unum remanet, reliquo recedente**, illa sunt per essentiam diversa; sed virtus aliquo modo remanet post perpetrationem culpae, gratia vero gratum faciens nullo modo: ergo per essentiam differunt.“[4])

6. „Quaecumque sic se habent, quod unum remanet indivisum, reliquum vero dividitur et multiplicatur, illa essentialiter differunt; sed gratia in una anima est **una**, sicut ostensum est supra. [II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1.], virtutes vero **multae**, sicut ostendetur infra [III. Sent. d. 33. per totam] . . .: necesse est igitur, gratiam et virtutes gratuitas differre per essentiam.“[5]) **Ergo stricte loquendo, gratia gratum faciens non potest dici virtus gratuita esse.**

Utrum sit habitus supernaturalis?

S. Bonaventura, aliquando minus accurate loquendo, dicit gratiam gratum facientem esse „**quemdam habitum**“[6]), sed cum ex professo quaestionem tetigerit, praecisa notione de habitu ab Aristotele adiutus: „Ut uno verbo dicam, ex similibus operationibus habitus fiunt; unde operationes qualitate quadam praeditas oportet reddere, quippe cum ex earum differentiis habitus quoque [differentes] consequantur“[7]), hoc in sensu stricto admitti posse negavit. Ratio est, quia

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. fund. 2.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. fund. 3.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. fund. 4.; Aristot., I. Topic, c. 18.: „**Eorumdem eaedem differentiae.**“

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. fund. 5.; Aristot., VII. Topic. c. 1.: „Si potest alterum sine altero esse, non enim erit idem ad idem [ou gar an eie tautón i. e. non enim erit idem];“ Aristoteles, latine, interpretibus variis, edidit Acad. R. Borussica, vol. III. Topic. VII. 1. 83.b 33: „Nisi enim ambo sint eadem quod idem quippiam patet ea ne inter se quidem esse eadem.“

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. fund. 6.

[6]) S. Bonaventura, II Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. fund. 3. et in III. Sent. d. 2. a. 3. q. 2.; q. 13. vocat ipsam gratiam: habitum, sed puto, quod verbum habitus in sensu stricto non est sumendum.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. ad opposst. 4. sed verba sunt Aristot., II. Ethic. c. 1.

illa sententia, quae dicit: „Quod **gratia** nihil aliud est quam **virtutis habitus,** necesse habet dicere, aut quod **omnes virtutes sint una virtus,** aut quod **in uno homine** sint **multae gratiae gratum facientes.** Quorum utrumque est improbabile, et unum est improbatum supra [II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1.], et aliud est satis improbabile, videlicet quod **omnes virtutes sint una virtus,** et improbabitur suo loco [III. Sent. d. 31. a. 1. q. 1.; d. 33. q. 2.]. Necesse etiam habet dicere, aut quod gratia gratum faciens non totaliter tollitur per culpam, aut quod post peccatum nihil remanet de virtute aliqua. Et **primum** horum est **contra communem doctorum sententiam, secundum** vero est **contra experientiam.** Ideo modus iste dicendi non modicam habet calumniam."[1])

Utrum sit actus?

S. Bonaventura hoc negat, quia „si vero est actus . . ., ergo non plus erit in gratificato quam in non gratificato, nisi quando operatur: ergo non erit gratia in parvulis baptizatis et in iustis dormientibus magis quam in non baptizatis et in hominibus peccatoribus"[2]), sed hoc affirmare „falsum est et alienum a fide"[3]): ergo natura intima gratiae gratum facientis non consistit in puro actu.

Si non est virtus gratuita vel habitus, si non est solummodo actus, **quid igitur sit?**

S. Bonaventura simplicitur respondet: „Est tertius modus dicendi, quod quemadmodum, **cum dico lumen et colorem illuminatum, dico aliam et aliam formam, licet una sit ordinata ad aliam, et quodam modo altera compleatur ex alterius praesentia; similiter intelligendum est de gratia et virtute gratuita. Quemadmodum enim »color qualitas est corporis terminati«** [Aristot., de Sensu et sens. c. 3. Chroma an eie to tu tiaphanus en somati horismeno peras.] **quae a praesentia luminis influxi venustatur et completur, ut possit movere visum; sic virtus, quae est habilitatio potentiae, absque gratia gratum faciente informis est, sicut color sine lumine; sed ea adveniente, ex qua tota anima in se et in suis potentiis decoratur, formari et vivificari dicuntur habitus virtutum et effici Deo accepti."** [III. Sent. d. 23. a. 2. q. 5; d. 27. q. 1. et 4. nec non d. 36. q. 6.][4])

„Et sicut ex colore et lumine superinfuso **non fit unum per essentiam,** sed **unum per ordinationem quamdam;** sic nec ex gratia gratum faciente et informi fide intelligitur fieri unum nisi secundum quamdam **ordinationem et relationem.**

Ipsa enim gratia, adveniens in animam carentem habitibus virtutum, se habet quasi **originale principium** illorum quantum **ad esse primum."**[5])

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. in corp.
[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. fund. 3.
[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. fund. 3.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. in corp.
[5]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 23. a. 2. q. 5. in corp.

Postremum concludit, quod natura intima gratiae gratum facientis consistit **in dono**, **„quod animam purgat, illuminat et perficit; vivificat, reformat et stabilit; elevat, assimilat et Deo iungit**, ac per **hoc acceptabilem facit**; propter quod **donum huiusmodi gratia gratum faciens** recte dicitur et debuit appellari."[1]) **Gratia gratum faciens proinde est: „Causa formalis ipsarum virtutum gratuitarum, quae virtutes ceteras quantum ad habitus sibi substratos perficit et informat, et hoc per suam praesidentiam et influentiam, per quam animam facit gratam et quantum ad se et quantum ad eius potentias."**[2])

S. Bonaventura, ut definiat **naturam intimam** gratiae gratum facientis, hoc modo se habet. Primo inquirit, utrum sit **in genere substantiae** an **accidentis**; secundo, utrum sit **idem** ac **virtus gratuita** sive **habitus** vel **actus?**

De primo dicit impossibile esse, quod sit in genere substantiae, quia in unoquoque homine **una est individualitas**; quia gratia gratum faciens eidem est aliquod **superadditum**: quod adesse vel abesse possit, quod recipiat maius vel minus: ergo quod **non possit consistere in genere substantiae sed accidentis.** De secundo autem ait, quod non sit **virtus gratuita** sive **habitus vel actus**:

a) quia gratia gratum faciens est **causa formalis** gratificationis animae, **virtutes vero gratuitae** sunt effectus eiusdem;

b) quia gratia gratum faciens est **ad instar animae** in nobis, quae non agit per se, sed **mediantibus suis potentiis**, quae sunt virtutes infusae et gratuitae;

c) quia gratia gratum faciens **continuo** nos facit Deo **acceptos**, dum in nobis persistit; **virtus infusa**, quae est eiusdem potentia operativa, **non semper agit;**

d) quia virtutes theologicae, excepta caritate, virtutes cardinales recedente gratia gratum faciente per gravem culpam, remanent **informes**: ergo quod gratia gratum faciens non sit virtus gratuita;

e) quia **una** est gratia gratum faciens in singulis individuis et **plures** sunt virtutes gratuitae: ergo quod natura intima gratiae gratum facientis consistere non valeat in virtute gratuita.

Quod non sit **habitus supernaturalis**, quia in homine **una** solummodo gratia gratum faciens vigere potest, et plures habitus dantur.

Quod non sit **actus**, quia in parvulis baptizatis et in iustis dormientibus gratia gratum faciens persistit, **quin excitet actum deliberatum.**

Quid igitur sit? **„Est donum, per quod anima perficitur et efficitur sponsa Christi, filia Patris aeterni et templum Spiritus sancti; quod nullo modo fit nisi ex dignativa condescensione et condescensiva dignatione Maiestatis aeternae per donum gratiae suae."** (Brevil. p. V. c. 1.) „Est radix omnium habituum gratuitorum et principium omnis boni operis" [IV. Sent. d. 18. p. 2. dub. 3.].

---

[1]) S. Bonaventura, Breviloq. p. V. c. 1.

[2]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 1. in corp.

Articulus III. De gratiae ortu.

S. Bonaventura, ut in pluribus locis animadverti[1]) integra animi attentione radium intellectus fide illuminati convertit ad contemplandum: quam gratiose a divina bonitate **emanet gratia**: „Primo dico: si consideremus gratiae **ortum**, quaero, quid sit **originale principium** gratiae. Certum est, quod gratia est **datum optimum et donum perfectum, desursum descendens a Patre luminum.** Facio argumentum ex Canonica Jacobi [1, 17.]. Pono maiorem universalem affirmativam sic: **Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio**; sed gratia, ut ostendam in sequentibus, est datum optimum et donum perfectum — totum, quod dicam, volo ordinare ad probandum istam assumptam — sed si gratia est datum optimum et donum perfectum: ergo est desursum descendens a Patre luminum.“[2])

Sed quanam via descendit gratia in homines?

„Respondeo et dico, quod **gratia** descendit super mentes rationales **per Verbum incarnatum**, per **Verbum crucifixum** et **per Verbum inspiratum.** — Probatio. Dicitur in Canonica Jacobi [1, 18]: Voluntarie genuit nos Verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturae eius. **Per Verbum incarnatum** descendit ad nos copia gratiarum; unde in Joanne [1,16]: De plenitudine eius nos omnes accepimus et gratiam pro gratia. Certum est, quod **originale principium**, quod est Deus, quando creavit hominem ad imaginem et similitudinem suam in statu innocentiae, ita propinquum creavit illum sibi, ut **per Verbum increatum informabilis** esset homo ad gratiam. Postquam vero homo lapsus est per peccatum, providit divina sapientia modum condescensionis **per Verbum incarnatum**, per quod homo adaptaretur ad gratiam . . . Sic patet **prima originatio** gratiae in nobis, quae fit per **Verbum incarnatum.**“[3])

„Secundo, descendit **gratia** in nos per **Verbum crucifixum**. Non solum eramus inepti ad gratiam suscipiendam propter ignorantiam divinorum praeceptorum, immo etiam propter infirmitatem nostram et impotentiam et concupiscentiam terrenorum: ideo voluit Dominus ponere fulcimenta. Ut sanaret languores nostros, descendit in nos **per Verbum crucifixum.** Unde Apostolus ad Ephesios [2, 4. 5]: Deus, qui dives est in misericordia, propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos; cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, cuius gratia salvati estis. Nos sumus vivificati Christo per Christum,

---

[1]) S. Bonaventura, Collationes de septem donis Spiritus sancti. Collat. I.; Collationes in Hexaëmeron. Collat. III.; Sermones de Temp. Domica II. p. Pascha. Sermo 3. (t. IX. p. 301 et 302); I. Sent. d. 15. p. 2. a. unicus. q. 1—3; Prooemium in III. Sent.; III. Sent. d. 13. a. 2. q. 3.; Sermones de Tempore, Dom. II. post Pascha. Sermo 1. p. I. (tom. IX. p. 294 et 295).

[2]) S. Bonaventura, Collat. d. septem donis Spir. s. Collat. I. n. 4.; cfr. Tract. de Plantatione paradisi, n. 8—10; Brevil. p. V. c. 1.

[3]) S. Bonaventura, Collat. de septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 5.; cfr. Serm. de Temp. Dom. II. p. Pascha. Sermo 3. (tom. IX. p. 301.); In Hexaëmeron Collat. III. n. 4 et 10.

quia Christus de morte triumphavit . . .; mortuus autem est Christus, ut mortuos rescuscitaret ad susceptionem vitae et gratiae: **ergo influitur nobis gratia per Verbum incarnatum et per Verbum crucifixum.** — Et beata Virgo suscepit istud Verbum plenum gratia [Joan. 1, 14]; et egressus est fluvius gratiarum de eius latere, qui habet efficaciam nos sanandi."[1])

„Tertio oritur gratia in nobis **per Verbum inspiratum.** Quantumcumque Deus misit Filium suum in carnem [Gal. 4, 4], nisi credas ipsum **crucifixum,** non habebis gratiam. Unde Apostolus ad Titum [3, 5—7]: Non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus sancti, quem effudit abunde in nos per Jesum Christum, Salvatorem nostrum. Carissimi! Spiritus sanctus est, qui est dator gratiarum et amor procedens a Patre et Filio . . . Ipse enim iungit nos Patri et Filio. Unde Apostolus [II. Cor. 13, 13]: Gratia Domini nostri Jesu Christi, quantum ad secundum, et caritas Dei, quantum ad primum, et communicatio Spiritus sancti, quantum ad tertium, sit cum omnibus vobis. Amen.

Unde igitur **oritur** gratia? **Dico, quod oritur a Patre luminum per Verbum incarnatum, per Verbum crucifixum et per Verbum inspiratum. Nobilis influentia, quae a Deo incarnato habet originem**! Multum bene deberet custodiri ista gratia; sed perdis eam per peccatum . . . Coluber effundens venenum occidit, ita peccatum occidit vitam gratiae."[2])

Patet modo, quis sit gratiae **ortus.** Videamus, quomodo cum illa[3]) Dominus Jesus, Filius Dei, ut pastor bonus [Joan. 10, 11] pascit non solum **Ecclesiam militantem** sed etiam **triumphantem:**

S. Bonaventura habens sermonem sollemnem **coram Universitate Parisiis, in domo Praedicatorum**[4]), his verbis talia mystica pascua describit: „Jesus **pastor bonus** pascit non solum, sicut dictum est, **Ecclesiam militantem,** sed etiam **Ecclesiam triumphantem.** Nam pascit **Seraphim** et Apostolos amoribus aeterne et fontaliter vulnerativis sive sagittativis; **Cherubim** et Doctores et Prophetas aeterne et fontaliter irradiativis sive sapientificativis; **Thronos** et Patriarchas, Confessores almos excessibus aeterne et fontaliter quietativis sive satiativis; **Dominationes** et Martyres libertatibus aeterne et fontaliter sublimativis sive

---

[1]) S. Bonaventura, Collat. d. septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 6.

[2]) S. Bonaventura, Collationes de septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 7 et 8.; cfr. In Hexaëmeron, Collat. III. n. 10—21.; cfr. Sermones de B. Virgine Maria. De assumtione B. V. M. Sermo 4. n. 1. (t. IX. 696.).

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. in corp.: **„Tam gratia gratum faciens quam gloria nominat divinam influentiam, per quam anima habet Deum, et Deus habitat in anima . . . Quoniam igitur idem potest esse per essentiam magis perfectum et minus perfectum; hinc est, quod gratia et gloria, secundum quod distinguuntur secundum modum habendi Deum, differunt solum secundum statum . . . Gratia et gloria, non differunt nisi sola comparatione. Unde vita aeterna nominatur gloria, et . . . gratia". Rom. 6, 23.**

[4]) Titulus huius sermonis sonat: „Item, sermo fratris Bonaventurae Parisius coram Universitate, in domo Praedicatorum." Tom. IX. p. 301.

dignificativis; **Principatus et Potestates** animos potentatibus aeterne et fontaliter stabilitivis et honorificativis; Potestates et dignos rectores validitatibus aeterne et fontaliter triumphativis et inconcussivis; **Virtutes** et Virgines nobilitatibus aeterne et fontaliter admirativis et decorativis; Archangelos et praedicatores revelationibus aeterne et fontaliter venerativis et spectativis; **Angelos** et officiales pietatis contemplationibus aeterne et fontaliter provisivis et quietativis."[1])

Per hunc modum bonus pastor Ecclesiae, Christus, diligenter suum officium exercet, quia „humanum gregem **erudit** documento salutaris eruditionis vel praedicationis; secundo **pascit** subsidio sacramentalis refectionis; tertio **defendit** praesidio virilis protectionis. Per primum autem illuminatur quantum **ad intellectivam,** per secundum . . . quietatur quantum **ad affectivam,** per tertium roboratur quantum **ad effectivam** . . . Unde licet Christus in quantum **Verbum increatum,** supportans universa, pascat supermentaliter sublimando ad sapientiam; in quantum **Verbum inspiratum,** sustentans intellectualia, pascat spiritualiter informando ad iustitiam; tamen in quantum **Verbum incarnatum,** restaurans humana, pascit sacramentaliter reficiendo **per gratiam.** — Et iste triplex pastus est necessarius homini ad hoc, ut perfecte pascatur. Nam in homine est **spiritus, motus** et **sensus.** Ad hoc autem, ut homo perfecte **reficiatur spiritualiter,** necesse est, eum habere **spiritum vitae in reformatione gratiae, motum in exercitatione iustitiae** et **sensum in contemplatione sapientiae."**[2]) Clavis ergo contemplationis, concludit S. Doctor, est **intellectus triplex,** scilicet intellectus **Verbi increati,** per quod omnia producuntur; intellectus **Verbi incarnati,** per quod omnia reparantur; intellectus **Verbi inspirati,** per quod omnia revelantur."[3]) Sed **gratia Dei descendit ad nos „per Verbum incarnatum,** per **Verbum crucifixum et per Verbum inspiratum."**[4]) Influxus autem gratiae est „sicut **radius perpendicularis;** dico de gratia gratum faciente, quia gratia gratis data est sicut **radius incidentiae."**[5]) Attamen „gratia Spiritus sancti non potest vigere in anima nisi per reversionem eius in ipsius originale principium. Istam reversionem et coniunctionem servat **humilitas,** et **dissolvit superbia.** Unde in Canonica Jacobi [4, 6]: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et quae est ratio? Quis est humilis? Certe, qui omnia bona, quae habet, attribuit suo originali principio; sed superbus attribuit omnia sibi ipsi. Humilis continuatur cum sua origine, sed superbus discontinuatur et quasi dicit: hoc non accepi a te. Et ideo lucifer factus est obscurus, quia recessit a suo originali principio; sed Christus reduxit se in suum originale principium per humilitatem, et ideo clarus fuit."[6])

---

[1]) S. Bonaventura, Sermones de Temp. Dom. II. p. Pascha. Sermo 3. (tom. IX. p. 301 et 302).

[2]) S. Bonaventura, Sermones de Tempore. Dom. II. p. Pascha. Sermo 1. p. 1. (tom. IX. p. 294).

[3]) S. Bonaventura, In Hexaëmeron Collat. III. n. 2.

[4]) „ „ Collat. de septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 8.

[5]) „ „ Collat. de septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 9.

[6]) „ „ Collat. de septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 9 et 10.; II. Sent. d. 13. a. 2. q. 3.

Proinde, ut talis **influxus gratuitus** Dei continuo in nobis permaneat, requiritur ex parte nostra **rectus usus** gratiae scilicet **„fidelis respectu Dei, virilis in se et liberalis in proximum.“**[1]) Fidelitas erga Deum servatur per humilitatem; virilitas in se, per exercitium in operibus virtutum quoad perfectionem ipsius personae sine respectu ad alias; cum respectu ad alias: per liberalitatem in proximum.[2])

Sed qualis est **fructus** influxus permanentis gratiae gratum facientis in nos? Triplex: „Primus est **remissio culpae**, secundus est **plenitudo iustitiae**, et tertius est **assecutio beatitudinis aeternae.** Et secundum hoc est **triplex gratia**, scilicet **gratia curans, gratia corroborans** et **gratia consummans** — Gratia **curans** datur in septem Sacramentis contra septemplicem morbum . . . Et . . . perficitur . . . in septem operibus misericordiae. — Gratia vero **corroborans** consistit in duobus. Aut enim se habet per modum **rectificantis**, et sic consistit in septem virtutibus; aut se habet per modum **expedientis**, et sic consistit in septem donis Spiritus sancti. — Gratia vero consummans consistit in duobus septenariis, scilicet gratia **consummans in via** in septem beatitudinibus . . .; sed gratia consummans **patriae** in septem dotibus, scilicet in tribus **dotibus** ipsius animae, quae est **visio, fruitio et tentio.** Prima respondet fidei; secunda spei; et tertia respondet caritati. Consistit etiam in quatuor dotibus corporis, quae in corpus redundant ex beatitudine animae et sunt **claritas, subtilitas, agilitas et impassibilitas**; quae respondent quatuor virtutibus cardinalibus.“[3])

„Et ideo illa **influentia**, per quam Deus in nobis **habitat**, dicitur esse **gratia** . . . in quantum Deus homini condescendit; et dicitur esse **gloria** . . . secundum . . . quod homo per illam inhabitationem **sublimatur** et ad magna conscendit . . . Unde vita aeterna nominatur **gloria**, et nominatur etiam **gratia**, ad Romanos sexto [23]: **Gratia autem Dei vita aeterna.**“[4]) Exinde „gratia et gloria . . . differunt solum **secundum statum.**“[5])

Patet modo, qualis sit **ortus gratiae** secundum conceptum S. Bonaventurae. S. Doctor posuit maiorem universalem affirmativam: **Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Pare luminum** [Jac. 1, 17]. Sed tale datum optimum et

---

[1]) S. Bonaventura, Collat. de septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 9.
[2]) „ „ Collat. de septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 16.
[3]) „ „ Collat. de septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 17; cfr. Brevil. p. V. c. 4—6. — N. S. Bonaventura in III. Sent. d. 34. p. 1. a. 2. q. 1.; Brevil. p. V. c. 6.; de Donis Spiritus s. Collat. I. n. 17.; Comment. in Luc. c. 6. n. 62. sequens allegoricam explicationem numeri septem a S. Augustino, V. Quaest. in Pentateuch. q. 42; de Civit. Dei, l. XI. c. 31; I. de sermone Domini in monte. c. 3. n. 10; Gregorio, II. Moral. c. 49 n. 77.; Hugone a S. Victore, de Quinque Septenis seu Septenariis c. 1. seqq. propositam reduxit octo beatitudines [Matth. 5, 1—10.] ad septem; sed in opere posteriore se corrigendo agnovit octo. V. Apol. pauper. c. 3. primae respons. n. 8.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. in corp.
[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. in corp.

donum perfectum est **gratia**: ergo gratia oritur **a Deo-Patre**, tamquam causa efficiente, **per Verbum incarnatum** seu humanitatem Jesu Christi, ut causam coniunctam instrumentalem, **per Verbum crucifixum**, ut causam coniunctam instrumentalem meritoriam, **per Verbum inspiratum** sive Spiritum sanctum procedentem a Patre et Filio, ut causam efficientem, qui sanctificat ipsas animas **per causam formalem**, quae est **gratia gratum faciens, simpliciter** [I. Sent. d. 15. p. 2. a. unicus. q. 1. in corp.], **per gratiam gratis datam, secundum quid** [I. Sent. d. 15. p. 2. a. unicus. q. 1. in corp.]. Insuper Jesus Christus, ut verus Deus et verus homo, praesentatus in Evangelio [Joan. 10, 11.] sub figura **boni pastoris**, influit in suum corpus mysticum, quod Ecclesia triumphans et militans nuncupatur, cuius est ipse caput, speciali modo gratiam: **illuminando intellectivam, inflammando affectivam, roborando effectivam.** Unde ex parte creaturae rationalis requiritur **rectus usus** gratiae scilicet **fidelis respectu Dei, virilis in se et liberalis ad proximum**, ut secum ferrat triplicem **fructum** in nobis: **remissionem culpae, plenitudinem iustitiae et assecutionem vitae aeternae**, quippe **gratia et gloria** essentialiter in se non differunt sed **secundum statum.**

„Nobilis influentia, quae a Deo incarnato habet originem!“ [1])

Articulus IV. De munere gratiae.

Gratia est forma accidentalis in genere subiecti persistens, quam solus Deus producere potest.[2]) Mediante illa nos sumus speciali et novo modo uniti cum divina essentia. Per illam nobis **datur** Spiritus sanctus, quem qui possidet, habet ipsum Deum.[3]) Hoc verbum **dare** vel **dari** vel **datio** in vocabulario theologico S. Bonaventurae notatu est dignum hic afferre: **„Dare,** inquit S. Doctor, est ad aliquid habendum vel possidendum; **habere** autem aliquid vel possidere est, cum aliquid est in facultate habentis vel possidentis. **Esse** autem in facultate habentis vel possidentis est esse praesto ad fruendum vel utendum. Perfecta autem possesio est, cum homo habet illud, quo possit uti et quo possit frui. Sed recte frui non est nisi Deo, et recte uti non contingit nisi per gratiam gratum facientem: ergo perfecta possessio est, in qua Deus habetur et eius gratia. Sed perfectum donum est ad perfectam possessionem: ergo non est datum optimum et donum perfectum [Jac. 1, 17], nisi detur **Donum increatum**, quod est Spiritus sanctus, et **donum creatum**, quod est gratia.“[4])

Anima praedita hoc ineffabili munere dignitatis divinae gratiae elevatur in societatem divinarum personarum [1. Joan. 1, 3],

[1]) S. Bonaventura, De septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 8.

[2]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 14. a. 2. q. 2. ad. 1.: „Et quia gratia est dei formis, ideo non potest ab agente tali [scil. creato] produci.“

[3]) S. Bonaventura, Brevil. p. V. c. 1.: „Cum gratia datur donum increatum, quod est Spiritus sanctus, quod qui habet, habet et Deum.“

[4]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 14. a. 2. q. 1. in corp.; cfr. G. Palhoriès, S. Bonaventura [Paris 1913], De la natura de la grace, p. 175.

ad consortium divinae naturae [2. Petr. 1, 4]; eligitur in templum Dei [1. Corp. 3, 16]; efficitur sedes sanctissimae Trinitatis [Joan. 14, 23].[1])

Haec enim perfectio accidentalis animae in se continet verissimum **munus theologicum** gratiae, **quod consistit in elevatione humanae naturae ex ordine naturali ad supernaturalem.** Haec perfectio cum suo munere omnino est gratuita et secundum exigentiam humanam prorsus indebita. S. Bonaventura eam nuncupat: **„perfectionem superabundantiae"**[2]), in quantum participat ipsum divinum esse: „ex cuius participatione habere dicitur omne bonum."[3]) Licet Deus acceptat omnes creaturas **generaliter**, in quantum sunt opus Dei [Sap. 6, 8][4]), **speciali** modo dicitur acceptare creaturam rationalem, quae sola est eius capax et particeps esse potest.[5])

„Primum genus acceptationis, dicit S. Bonaventura, non requirit superaddi donum gratiae ultra ea quae sunt de conditione naturae. Secundum vero genus acceptationis non potest non esse **gratuitum,** tum propter gratuitam Dei **condenscensionem,** tum propter creaturae **exaltationem** ultra terminos sive status naturae."[6])

Animae rationali, quae a Deo per gratiam gratum facientem, ita acceptata est, iungitur: **sanctitas interna, Dei conformitas** et **spiritualis venustas.**[7]) Haec proprietates ipsi conveniunt gratiae gratum facientis causa: „non secundum tropum aut transumtionem, sed secundum **veritatem.**[8])

Praeter praedictum munus **theologicum** gratiae S. Bonaventura nominat aliud, quod **psychologicum** appellatur. Prius consistit in elevatione hominis ad ordinem supernaturalem, ut particeps fiat divinae naturae per gratiam, **posterius vero respicit subiectum recreando illud, postea gradatim magis magisve idem perficiens, reformat, vivificat atque stabilit ipsum: illuminando, purgando, sanando, ut sit vir perfectus.**[9])

Hac ex parte S. Joannes [c. 1.; 3, 19; 8, 12; 9, 5; 12, 46.] et S. Paulus [Eph. 5, 8; 1 Thess. 5, 5.] considerantes munus **psychologicum** gratiae, vocant eam lucem [to phos] in oppositione ad tenebras [to skotos], quae sunt peccata; quippe qui facit ea, odit lucem et seipsum spiritualiter [pneumatikos] occidit. S. Bonaventura huic novae nominationi gratiae a sacra Scriptura profunde insistens, etiam altera

---

[1]) S. Bonaventura, Brevil. p. II. c. 12; p. V. c. 1.

[2]) „ „ II. Sent. d. 34. dub. 3.; Aristot., V. Metaph. text. 23. (IV. c. 16.)

[3]) „ „ II. Sent. d. 34. dub. 3.; Alex. Halensis, S. p. 1. q. 18. m. 7.

[4]) „ „ II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1. in corp.

[5]) „ „ II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1. in corp.; August., XIV. de Trinit. c. 8. n. 8; Aristot., II. de Part. animal. c. 10.: . . . „Hominum genus est, quippe quod aut unum ex omnibus animalibus nobis cognitis **divinitatis particeps sit,** aut omnium maxime."

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1. in corp.; Alex. Halensis, S. p. II. q. 91. m. 1. a. 3. § 1.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1. in corp.

[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 1. q. 1. in corp.

[9]) S. Bonaventura, Breviloq. p. V. c. 1.; cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 6. a. 1.—3.

ex parte ideali doctrina Pseudo-Dionysii de luce adiutus[1]), in ea detegit **munus subiectivum gratiae,** quod potius consisteret **in facultate illuminandi quam calefaciendi,** quia „gratia magis dicitur **lux** quam **calor,** quoniam **lux** in se habet et virtutem illuminandi, et illuminando magis et magis virtutem calefaciendi; et ideo plus complectitur lux quam calor. Et **gratia** in quantum **lux** non tantum respicit intellectum, verum etiam affectum, immo lux, ut dicitur **de gratia,** nominat eam, **ut respicit totam animam;** quoniam, sicut lux est forma totius orbis primi, et per cuius influentiam fiunt generationes circa partes inferiores, et una est ratio actualitatis et diffusionis, secundum quod innuit et dicit aperte Dionysius in libro de Divinis Nominibus [c. 4. § 4.]; et quia hoc **competit gratiae, quae est radix omnium habituum gratuitorum et principium omnis boni operis:** hinc est, quod dicitur **lux,** et peccatum dicitur **tenebra:** quia tenebra non tantum privat actum lucis, secundum quem est in sensum visus, sed etiam alios actus, secundum quos est operativa: et ita ista tenebra non respicit intellectum tantum, sed intellectum ut extensum ad calorem affectus, vel ad operationem effectus."[2])

Ex his logice duplex resultat munus gratiae apud S. Bonaventuram, scilicet **theologicum** et **psychologicum.** Primum respicit **elevationem** naturae rationalis ad ordinem supernaturalem; secundum vero **sanationem** ipsius praesertim **per vim gratiae illuminativam.**

Articulus V. De gratiae divisione.

„Cum gratia **una** sit, inquit S. Bonaventura, multiplices tamen habet divisiones secundum diversas considerationes. Habet enim gratia comparari **ad suum principium a quo,** habet comparari, **ad suum subiectum in quo,** habet nihilominus comparari **ad suum oppositum contra quod,** habet comparari **ad suum effectum, ad quem** ordinatur.

Per comparationem **ad suum principium,** sic dividitur gratia in gratiam **praedestinationis, vocationis, iustificationis et magnificationis.** Primo enim Deus gratiam praeparat, secundo offert, tertio confert et quarto complet."[3])

Hanc autem divisionem S. Doctor delibavit ex epistola ad Romanos [8, 30]: „Quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et iustificavit: quos autem iustificavit, illos et glorificavit."

---

[1]) P.-Dionysius, de Div. Nom. c. 4. Translatio M. Ficini edita a P. Cartusianis cum op. Dionysii Cart. t. XVI. Tornaci 1902. p. 187 et 188, quae differt ab illa antiqua Joannis Eurigenae Scoti ibid. p. 104 et 105.

„Quid autem de ipsa dicam secundum se luce solari? Lumen sane ex ipso bono est, atque bonitatis imago: quapropter ipsum bonum, luminis cognomento laudatur, tanquam in imagine quadam exemplar impressum. Ipsa quidem transcendentis omnia Deitatis bonitas a supremis antiquissimisque substantiis ad infimas usque pertingit, atque interim extat super omnes, dum neque superiores essentiae eminentiam eius supergrediuntur, neque inferiores quin ab ipsa contineantur, effugiunt." etc.

[2]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 18. p. 2. dub. 3.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. dub. 1.

Per comparationem **ad suum subiectum,** sub influxu S. Bernardi[1]), gratiam dividit: „In gratiam **cogitationis, voluntatis et perfectionis** secundum triplicem potentiam eius substantiae, in qua est gratia, videlicet secundum intellectivam, affectivam et operativam.“[2])

Si autem comparetur **ad suum oppositum,** S. Bonaventura[3]) ope textus Jsaiae[4]) facit divisionem gratiae in quatuor membra, scilicet in gratiam **„protectionis, liberationis, extractionis et salvationis.** Sumitur enim haec divisio, secundum quod gratia adiuvat contra multiplex malum, videlicet malum tentationis sive pugnae, malum persecutionis sive miseriae, malum culpae et malum sequelae. A primo protegit, a secundo liberat, a tertio extrahit et a quarto salvat.“[5])

„Secundum comparationem **ad effectum, ad quem** est, dividitur in **praevenientem** et **subsequentem,** sive **operantem** et **cooperantem,** quae sunt differentiae gratiae secundum effectus, quos habet in ipsam voluntatem. Dicitur enim gratia **praeveniens,** in quantum ipsam voluntatem facit bonam; et ideo praevenit, quia non est a libero arbitrio, sed potius infunditur ab ipso Deo. **Cooperans** vero sive **subsequens** dicitur, in quantum adiuvat liberum arbitrium respectu boni operis eliciendi.“[6])

Deinde nomen gratiae praevenientis et subsequentis **in quadruplici** sensu sumit.

„Accipitur enim gratia, inquit, uno modo **largissime,** et sic comprehendit dona naturalia et dona gratuita; utraque enim desursum sunt. Et hoc modo gratia habet dividi in praevenientem et subsequentem, ita quod praeveniens vocantur dona naturalia, subsequens vero dona gratuita; et sic accipit Gregorius in Moralibus[7]) — „Alio modo accipitur gratia **minus communiter,** et sic comprehendit **gratiam gratis datam** et **gratum facientem;** et tunc dividere gratiam in praevenientem et subsequentem nihil aliud est quam dividere gratiam in gratis datam et gratum facientem. Et sic dividit Bernardus,

---

[1]) S. Bernardus, de Gratia et lib. arb. c. 14. n. 47.: „Ipsa [scil. gratia] liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat, cum immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum.“

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. dub. 1. Cfr. P. P. Antonii M. a Vicetia et Joannis a Rubino Lexicon Bonaventurianum Phil.-Theol. Venetiis 1880. p. 83—86.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. dub. 1.

[4]) Is. 31, 5: . . . „Proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans [ ]

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. dub. 1.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. dub. 1.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. dub. 1.; Gregorius termino gratiae praevenientis et subsequentis in duplici sensu utitur, scilicet ad significandum misericordiam, qua Deus nobis sua dona, sive naturalia sive supernaturalia, tribuit et custodit [IX. Moral. c. 53. n. 79. seqq.], et ad significandam pietatem, qua Deus prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum, quod iam appetimus, agat nobiscum.“ [XVI. Moral. c. 25. n. 30; XVIII. c. 40 n. 63, XXII. c. 9. 20 et XXXIII. c. 21. n. 38 seqq.] Forsitan modus dividendi gratiam, de quo hic Bonav. loquitur, insinuatur his verbis, quae leguntur l. c. VIII. c. 28. n. 47: „Hominem Deus magnificat, quia largitate rationis ditat, infusione gratiae visitat.“ Explicite tamen haec divisio gratiae habetur apud Richard a. S. Vict., de Statu interioris hominis, tr. 1. c. 20. [Migne, P. L. T. 75 et 76.]

cum dicit, quod quaedam est gratia, quae seminat cogitatum, et hanc vocat gratiam praevenientem; quaedam, quae perficit bonum, et hanc dicit gratiam subsequentem Ait enim sic in libro de Libero Arbitrio: »Haec tria in nobis operatur Deus, scilicet **cogitare, velle et perficere. Primum sine nobis operatur, secundum nobiscum, et tertium per nos.**[1]) — „Accipitur et **gratia stricte**, et sic comprehendit **gratiam gratum facientem** et **gloriam**; et tunc dividere gratiam in praevenientem et subsequentem non est aliud, quam dividere in gratiam et gloriam. Et sic dividit Augustinus in libro de Natura et gratia, cum ait: Gratia praevenit, ut pie vivamus; subsequitur, ut cum illo semper vivamus. Nunc praevenit, ut vocemur; tunc subsequitur, ut glorificemur.“[2])

„Accipitur etiam gratia **magis stricte**, et tunc nominat solum gratiam gratum facientem; et tunc dividere eam in praevenientem et subsequentem, hoc est secundum duplicem effectum gratiae, qui potest distingui tripliciter: vel ita, quod unus effectus sit contra malum, et alter ad bonum; vel ita, quod uterque sit ad bonum, sed unus competat gratiae, secundum quod informat, alter, secundum quod movet; vel ita, quod uterque attribuatur gratiae moventi, sed unus in ingressu, et alter in profectu. Et sic tripliciter exponitur ab Augustino in libro de Natura et gratia. Uno modo sic: gratia praeveniens hominis voluntatem liberat et praeparat; subsequens vero, in quantum eamdem adiuvat. Secundo modo sic: gratia praeveniens »praevenit voluntatem, ut sanemur; et subsequitur, ut sanati vegetemur.« Tertio modosic: gratia praevenit voluntatem, ut velit; et subsequitur, ne frustra velit.“[3])

Hoc modo S. Bonaventura gratiam dividebat, dum de hac re placita Patrum perscrutavit; postea, cum proprio ingenio gratiam inceperit considerare, eamdem solummodo dividit: **generaliter specialiter** et **proprie.**

Gratiam **generaliter** acceptam definit: „**Adiutorium divinum creaturae liberaliter et gratis impensum et indifferenter ad quemcumque actum; et sine huiusmodi adiutorio gratiae nec possumus aliquid efficere nec durare in esse.**“[4]) Haec autem gratia vocatur **gratia creationis**; nec, proprie loquendo, veri nominis gratiam constituit.

Gratiam vero **specialiter** sumptam dicit esse: „**Adiutorium divinitus datum, ut quis praeparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum [scilicet gratiam gratum facientem], quo perveniat ad meriti statum; et talis dicitur gratia gratis data, et sine hac nullus sufficienter facit quod in se est, ut se praeparet ad salutem.**“[5])

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. dub. 1.; S. Bernardus, de Gratia et lib. arb. c. 14. n. 46.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. dub. 1.; S. August., de Natura et gratia, c. 31. n. 35.: „S. Praevenit, ut vocemur; subsequetur, ut glorificemur“ etc.; [Migne, P. L. T. 44 col. 264].

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. dub. 1.

[4]) S. Bonaventura, Brevil. p. V. c. 2.; II. Sent. d. 7. p. 2. a. 1. q. 1. ad 6: „**Donum dupliciter** potest accipi: **proprie et communiter. Proprie** donum dicitur **quod simpliciter aliunde est,** cuiusmodi sunt gratiae infusae sive dona infusa; et talis est gratia gratum faciens vel ad eam habilitans. **Alio modo** dicitur **donum,** quod est per adiutorium divinum . . . **et non dicitur proprie donum.**“ etc.

[5]) S. Bonaventura, Brev. p. V. c. 2.

Haec gratia nihil aliud est quam **gratia actualis**, sine qua **„non potest liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem se disponere."**[1]) Ope eiusdem liberum arbitrium a Deo illuminatur, dirigitur et excitatur, **„ut velit facere aliquid, quod sit Deo placitum."**[2])

S. Bonaventura **in sensu generali, sed non in speciali,** vocat etiam nomine gratiae gratis datae **charismata** enumerata a S. Paulo primae ad Corinthios [12, 8 . . .][3]), et „quidquid illud sit quod **superadditum est naturalibus,** adiuvans aliquo modo et praeparans voluntatem ad habitum vel usum gratiae, sive illud gratis datum sit habitus, sicut **timor servilis,** vel **pietas** aliquorum visceribus inserta ab infantia, sive sit etiam aliquis **actus,** sicut aliqua vocatio vel locutio, qua Deus excitat animam hominis, ut se requirat."[4])

Gratiam tandem **proprie** consideratam sequenti modo exhibet: **„Proprie vero gratia dicitur adiutorium datum divinitus ad merendum, quod quidem dicitur donum gratiae gratum facientis, sine quo nullus potest mereri nec in bono proficere nec ad aeternam pervenire salutem. Ipsa enim tanquam radix merendi omnia merita antecedit."**[5])

„Gratia gratum faciens necessario praeexigat dispositionem gratiae gratis datae, sed quia ipsa est quid divinum et res existens supra liberum arbitrium et etiam supra naturale iudicatorium. Ideo liberum arbitrium numquam assurgit nec ad cognoscendam gratiam nec ad petendam, nisi aliquo modo a sursum excitetur et per aliquod donum gratiae gratis datae, quod tenet quasi medium inter donum gratiae gratum facientis et naturalem libertatem voluntatis. Tenendum est igitur, quod liberum arbitrium, si excitetur per aliquod donum gratis datae, potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere; si autem omni tali munere contingat ipsum destitui, numquam posset ad illam disponi."[6])

S. Bonaventura post hanc classicam ac simul simplicem divisionem gratiae in gratiam creationis, gratis datam et gratum facientem rursus reassumit gratiam gratum facientem, quae quamvis **una** in singulis individuis esse possit[7]), secundum diversos **effectus,** quos in nobis producit, dividi potest **secundum rationem** in gratiam a) **sacramentalem**[8]); b) **finalem**[9]); c) **consummantem**[10]). Gratiam sacramentalem iterum dividit ratione sui **effectus** in **curantem**[11]) et **corroborantem.**[12])

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.
[2]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.
[3]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.
[4]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.
[5]) „ „ Brevil. p. V. c. 2.
[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. q. 1. in corp.; Aristot., de Praedicamentis c. de Relatione: dispositio est eiusdem generis cum eo ad quod disponit.
[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. in corp.; Brevil. p. V. c. 1 et seq.; IV. Sent. d. 1. p. 1. a unicus. q. 6. in corp.: „Gratia gratum faciens una est."
[8]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 1. p. 1. a unicus. q. 6. in corp.
[9]) „ „ Sermones selecti de rebus theol. Sermo 2. n. 28. [tom. V. p. 546.]
[10]) „ „ De septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 17.
[11]) „ „ De septem donis Spiritus s. Collat. I. n. 17.
[12]) „ „ De septem donis Spiritus s. Collat I. n. 17.

Quod **gratia sacramentalis** non differat per essentiam, sed **secundum rationem** a gratia gratum faciente, licet plures connotet effectus, S. Bonaventura simplici probat ratione: „Et huius signum est, **quia tollitur uno peccato tota.** Cum dico **gratiam virtutum,** dico gratiam gratum facientem et habitum substratum; et gratia gratum faciens **una est,** sed habitus substratus alius et alius. Similiter cum dico **gratiam sacramentalem,** non tantum dico gratiam, sed etiam effectum curationis; et gratia quidem **una est,** sed effectus curationis plures sunt. Distinguitur ergo gratia in Sacramentis, donis et virtutibus concernendo **effectus et habitus substratos.** Unde sacramentalis gratia supra gratiam virtutum propter peccatum addit aliquem effectum. Exemplum in eo qui gratus est et baptizatus: datur illi gratiae effectus, quia non tantum absolvitur a culpa, sed etiam a poena; sicut et in aliis virtutibus et donis et beatitudinibus est differentia penes habitus substratos, qui differunt propter differentiam in actibus, ad quos ordinant. Nam virtutes ordinant ad opera prima, dona ad media, beatitudines ad perfecta, ut alibi [III. Sent. d. 34. p. 1. a. 1. q. 1.] patet; **Sacramenta vero addunt remedium curationis.**“[1])

Gratia **finalis** addit super gratiam gratum facientem **perseverantiam** in eadem usque ad terminum huius vitae. „**Tria** sunt, ait S. Doctor, quae istam gratiam **integrant**; scilicet **stabilis patientia, sublimis confidentia** et **longanimis perseverantia.**“[2])

Prima est **stabilis patientia**: „Quia Deus nullum debet admittere ad regni sui consortium, nisi sit amicus verus et approbatus. Sed nullus approbari debet, nisi prius probetur; nullus probari potest ita bene, sicut per tribulationem. Ergo tribulationis sufferentia vel patientia ad regnum habendum est necessaria.“[3])

Secunda est **sublimis confidentia**, quam benedictus ille latro habuit . . . [Luc. 23, 42.] Sed quare debeo confidere vel sperare, quod regnum Dei debeam possidere? Certe propter eius liberalitatem, quae me invitat . . . Propter veritatem, quae me confortat . . . Item propter pietatem et caritatem, quae me redemit . . . Spes ergo sive confidentia est ad habendum regnum necessaria, et hoc, quia hominem sursum erigit, erectum stabilit, stabilo mansionem facit.“[4])

Tertia est **longanimis perseverantia**: „Nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus. [2. Tim. 2, 11. 12.] Quid est commori Christo in cruce, nisi in cruce poenitentiae et evangelicae observantiae usque ad mortem perseverare?“[5])

Gratia **consummans** addit super gratiam gratum facientem quamdam **mutationem status** in nobis, quia gratia gratum faciens est quaedam inchoatio gloriae in nobis, atque gratia consummans est completa adeptio gloriae, sed gratia gratum faciens et gloria ad idem genus referuntur: ergo gratia consummans addit super gratiam gratum facientem

---

[1]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 1. p. 1. a. unicus. q. 6. in corp.
[2]) „ „ Sermones selecti de rebus theol. Sermo 2. n. 29. [tom. V. p. 547.]
[3]) „ „ „ „ „ „ „ „ 2. n. 30. [tom. V. p. 547.]
[4]) „ „ „ „ „ „ „ „ 2. n. 31. [tom. V. p. 548.]
[5]) „ „ „ „ „ „ „ „ 2. n. 32. [tom. V. p. 548.]

quamdam mutationem status in nobis.[1]) Per consequens non differunt secundum essentiam, sed **secundum rationem.**

Gratiam **sacramentalem,** ratione sui specialis effectus, quem producit in nobis, rursus dividit in **gratiam curantem et corroborantem.** Ratio est: „Sicut innuit Rabanus, et Magister dicit, et communiter concordant doctores, confirmatio dat gratiam gratum facientem. Sed notandum, quod gratia gratum faciens dupliciter dicitur: aut gratum faciens **de non grato,** et talis est gratia baptismalis et poenitentialis [sive curans]; aut magis gratum faciens **de iam grato**; et talis est gratia confirmationis, quae gratiam acceptam ampliat et confirmat."[2])

Gratiam curantem producunt in nobis sacramenta mortuorum; gratiam vero corroborantem sacramenta vivorum.[3]) Gratiam curantem etiam vocat S. Bonaventura gratiam **iustificantem**[4]), et gratiam corroborantem: **augmentantem.**[5])

Insuper S. Bonaventura tractans **de gratia Christi,** dividit eam in gratiam **singularis hominis**[6]), **in gratiam capitis**[7]) et in **gratiam unionis.**[8])

De **gratia** Christi ut **singularis hominis** S. Doctor sic se exprimit: „Absque dubio in Christo est ponere **donum gratiae,** quae quidem gratia dicitur gratia singularis personae; et hoc quidem donum esse **creatum.** — Et ratio huius est: quia tale donum gratiae animam Deo assimilat et ad bonas operationes et meritorias elevando habilitat. Quoniam igitur anima Christi fuit deiformis et ad bene operandum habilis, alioquin nec fuisset idonea ad unionem nec ad meriti perfectionem; ideo necesse fuit, in Christi anima reperiri donum talis gratiae. — Et ex eadem causa necesse fuit, ipsum esse creatum, ut animam posset informare, tanquam perfectio suum perfectibile informare habet, et ut potentias habilitare posset, sicut **qualitas** suum subiectum habet **qualificare.**"[9])

Nihilominus de tali gratia observat: „Quod . . . in Christo secundum humanam naturam ab ipsius conceptionis primordio fuit gratiae **perfecta et consummata plenitudo.** Non enim **decebat** Verbum increatum uniri animae perfectissima unione, qualis est unio in unitatem personae, quin anima esset deiformis, secundum quod erat possibile. Et ideo non tantum deiformitatem habuit gratiae et gloriae, sed etiam super omnem gratiam et gloriam. Nec tantum fuit in eo plenitudo **sufficientiae,** sicut in Sanctis, de qua plenitudine dicitur Actuum sexto [v. 8.]: Stephanus plenus gratia et fortitudine; nec tantum **plenitudo**

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. in corp.
[2]) „ „ IV. Sent. d. 7. a. 2. q. 2. in corp.; Raban., I. de Instit. cleric, c. 30; P. Lomb. IV. Sent. d. 7. c. 3.; Hugo a S. Vict. II. de Sacram. p. VII. c. 3. [Migne, P. L. T. 176, 460—461.]
[3]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 7. a. 2. q. 3. in corp.
[4]) „ „ IV. Sent. d. 7. a. 2. q. 3. in corp.
[5]) „ „ IV. Sent. d. 7. a. 2. q. 2. ad 2: „Gratia augmentans utique gratum faciens est."
[6]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 13. a. 1. q. 1. in corp.
[7]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 2. q. 1. in corp.
[8]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 2. q. 2. in corp.
[9]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 1. q. 1. in corp.

praerogativae, sicut in Virgine Maria, de qua plenitudine dicitur Lucae primo [v. 28]: Ave Maria, gratia plena etc.; nec tantum **plenitudo numerositatis et copiae**, sicut est in tota Ecclesia, de qua plenitudine ad Ephesios quarto [v. 10.]: Ascendit super caelos, ut adimpleret omnia etc.; sed etiam **plenitudo superabundantiae**, de qua Joannis primo [v. 14.]: Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis; plenum, inquam, plenitudine superabundantiae, propter quod subdit ad hoc probandum: Et de plenitudine eius nos omnes accepimus." [Joan. 1, 16.][1])

De gratia vero Christi ut **capitis** ait: „Caput in spiritualibus transumtive dicitur a capite in corporalibus; »omnes autem transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt« [Aristot. VI. Topic. c. 2. Ed. ab A. Firmin-Didot 1878.]: et ideo caput in spiritualibus dicitur secundum concomitantiam ad aliquam proprietatem capitis materialis. In capite autem materiali haec tria reperimus, scilicet quod est **membris conforme**, est **membrorum principium**, est etiam **influxivum sensus et motus** [Aristot. I. de Histor. animal. c. 7.; II. de Partib. animal. c. 10 et IV. c. 10, — August., Enarrat. in Ps. 29. enarrat. 2. n. 2, et de Agon. christian. c. 20. n. 22.].[2]) Et propterea in ipso reperiuntur omnes sensus perfectiori modo quam in aliis membris. — Omnes autem has proprietates est in Christo reperire respectu bonorum; et ideo valde rationabiliter sancta Scriptura [Eph. 1, 22; 5, 23; Col. 1, 18.] dicit, Christum esse caput Ecclesiae. — Sed prima **proprietas**, scilicet **conformitas**, competit ei ratione **humanae naturae** . . .

Secunda autem **proprietas**, scilicet **principiandi**, competit ratione **divinae naturae**, secundum quod est omnium principium. Unde ad Collossenses primo [v. 18.]: Ipse caput corporis Ecclesiae, qui est principium etc.

Tertia vero **proprietas**, scilicet influendi motum et sensum, competit ei ratione **divinitatis** et ratione **humanitatis** . . . Influere per modum **merentis**, Christi **hominis**; per modum **efficientis**, Christi **Dei**; vel influere quantum ad **remissionem poenae**, Christi **hominis**; quantum **ad remissionem culpae**, Christi **Dei**. Et sic influentia uno modo respicit Christum secundum naturam **creatam**, alio modo secundum naturam **increatam.**"[3])

---

[1]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 13. a. 1. q. 3. in corp.

[2]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 2. q. 3. ad 1 ait: „**Ad illud vero quod obiicitur, quod generalior est influentia cordis quam capitis [Aristot. II de Generat. animal. c. 4]; dicendum, quod generalior est secundum veritatem, sed tamen influentia capitis generalior est secundum manifestationem, pro eo quod in capite omnes sensus apparent et eminentiorem situm habent, et in eo sunt cellulae aptae ad cognoscendum et nervi apti ad sentiendum et movendum a parte anteriori videntur egredi, et nervi apti ad motum a parte posteriori. Et quoniam transsumtio ad manifestandas proprietates spirituales latentes sumi debet a re manifesta; hinc est, quod propter generalem influentiam magis dicitur Christus caput, quam dicatur cor; propter quam . . . medici discordant a naturalibus. Dicunt enim physici, quod principium motus et sensus est in capite, . . . naturales . . . cor.**"

[3]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 13. a. 2. q. 1. in corp.

Exinde concludit: „Si ergo gratia capitis dicitur illa gratia, secundum quam Christus habet influere motum et sensum in membra; restat hoc esse ponendum, quod gratia capitis uno modo nominat gratiam **increatam**, alio modo nominat non tantum **increatam,** sed etiam creatam, sicut ostendunt rationes ad primam partem[1]) allatae.

De gratia **unionis** Christi dicit quod **tripliciter** potest accipi: „Potest enim gratia unionis dici illud, per quod efficitur anima **gratis congrua** ad unionem; et sic dicit donum gratiae **creatae,** per quod anima habuit excellenter deiformitatem. Alio modo dicitur **gratia unionis gratia effectiva** unionis; et sic dicit donum gratiae **increatae.** Tertio modo potest dici gratia unionis ipsa **unio gratuita, sive gratis facta**; et sic ex parte divinae naturae dicit quid **increatum,** ex parte humanae naturae dicit quid **creatum,** non absolutum, sed relatum."[2])

Haec **triplex divisio** gratiae Christi **in gratiam singularis hominis, in gratiam capitis et in gratiam unionis** data est: **„Quantum ad diversitatem comparationum atque respectuum, sive effectuum,** inquit S. Bonaventura, **consequenter se habentium, qui non diversificat essentialiter."**[3]) Inter ipsas differentia est „solum quantum **ad connotatum,** quia **gratia unionis connotat effectum circa Christum, gratia capitis effectum circa membra Christi**; et **differunt a gratia singularis personae, sicut increatum a creato."**[4])

S. Bonaventura interpretans dicta sacrae Scripturae, quibus attribuitur S. Stephano [Act. 6, 8], Beatae Virgini Mariae [Luc. 1, 28][5]), Jesu Christo incarnato [Joan. 1, 14. 16][6]) **plenitudinem gratiae** habuisse, rite talem plenitudinem distinguit in tres partes, scilicet in plenitudinem **sufficientiae** respicientem S. Stephanum; in plenitudinem **praerogativae** respicientem B. V. Mariam; in plenitudinem **superabundantiae,** quae soli Jesu Christo convenit, quippe »Quod per superabundantiam dicitur, uni soli convenit« [Aristot., V. Topic. c. 3. (c. 5)]; sed »gratia unionis est summa gratia«, ut dicit Augustinus decimo tertio [c. 19. n. 24.] de Trinitate . . .:[7]) ergo plenitudinem superabundantiae gratiae solus Jesus Christus habuit.

Beatissima Virgo Maria habuit **sola plenitudinem praerogativae gratiae,** quam S. Bonaventura, ut melius explicet, secundum rationem distinguit **in septiformem gratiae effectum:**

„Fuit enim Virgo Maria **septiformi plenitudine plena.**

Plena etenim fuit gratia **sanctificante** . . . Dicamus ergo cum Angelo: Ave, gratia plena.

Plena etiam fuit gratia **fortificante** ad fulcimentum infirmitatis poenae, ne unquam posset superari in tentatione . . .

Plena etiam fuit gratia **consummante** ad supplementum defectibilitatis naturae, ut nulla remaneret in eo vacuitas indigentiae . . .

---

[1]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 2. q. 1. in corp.
[2]) „ „ III. Sent. d. 2. a. 3. q. 2. ad 6.
[3]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 13. a. 2. q. 2. ad 1.
[4]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 2. q. 2. in corp.
[5]) „ „ Comment. in Evangel. Lucae c. 1. n. 47—51.
[6]) „ „ Comment. in Joannem c. 1. n. 29—43.
[7]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 2. q. 2. fund. 4.

Plena nihilominus gratia **decorante** ad ornamentum honestatis vitae, ut nihil appareat in ea reprehensibile . . .

Plena etiam fuit gratia desponsante ad contubernium familiaritatis divinae . . .

Plena fuit etiam gratia **fecundante** ad conceptum integritatis virgineae, ut conciperet sine omni corruptione . . .

Plena postremo fuit gratia **redundante** ad profectum salutis humanae . . . **Sed licet Virginis gratia in omnes possit redundare quantum ad gratiae impetrationem, non tamen per infusionem; et licet in omnes redundet quantum ad sufficientiam, non tamen in omnes quantum ad efficaciam, sed solum in eos qui se reddunt idoneos ad suscipiendum.**"[1])

Sancti habent plenitudinem sufficientiae gratiae „**secundum plus et minus**"[2]) „Nam propter **meritum** passionis Christi **promissum** Patribus praecedentibus dedit Deus gratiam reconciliationis; et propter **exhibitum** dat nobis gratiam reconciliationis abundantius."[3])

Per modum conclusionis ex praecedentibus dictis sufficit dicere S. Bonaventuram agnoscere fundamentale principium gratiae, scilicet quod: „In unica anima una est gratia gratum faciens, sicut una est vita."[4]) Talis gratia tamen secundum diversos aspectus et comparationes potest variis nominibus nuncupari et secundum distinctionem rationis dividi.

Ita per comparationem ad gratiae principium vocat eam et dividit ope S. Pauli [Rom. 8, 30.] in gratiam praedestinationis, vocationis, iustificationis et magnificationis.

Per comparationem ad suum subiectum sub influxu S. Bernardi [de Gratia et lib. arb. c. 14. n. 47.) nominat eam et dividit in gratiam cogitationis, voluntatis et perfectionis.

Secundum comparationem ad suum oppositum dividit eam, ope textus Isaiae [31, 5.], in gratiam protectionis, liberationis, extractionis et salvationis.

Secundum comparationem ad effectum, ad quem est, dividit eam in gratiam praevenientem et subsequentem, sive operantem et cooperantem, quae iterum potest sumi in sensu largissimo S. Gregorii [VIII. Moral. c. 28. n. 47], in quo gratia praeveniens significat dona naturalia, subsequens vero dona gratuita. Sed haec distinctio magis appropriatur Richardo a. S. Victore, [de Statu interioris hominis, tr. 1. c. 20 ubi ait: „Sed alia potuit ex natura, et alia potuit ex gratia . . . Verumtamen et haec et illa constat esse ex gratia . . . Prima itaque bona ex gratia praevenienti, secunda autem bona ex gratia subsequenti"],

---

[1]) S. Bonaventura, Sermones de B. Virgine Maria: De Annuntiatione B. V. Mariae. Sermo 5. (tom. IX. p. 678—680.). Nota. S. Doctorem ob communiorem opinionem suae aetatis, quantum constat, non docuisse Immaculatam Conceptionem v. III. Sent. d. 3. p. 1. a. 1. q. 2. tamen contrariam non damnasse.

[2]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 13. a. 2. q. 3. in corp.

[3]) „ „ III. Sent. d. 13. a. 2. q. 3. in corp.

[4]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 13. a. 2. q. 2. fund. 1.; cfr. II. Sent. d. 26. q. 5. et d. 27. a. 1. q. 1; cfr. Alex. Halensis S. p. III. q. 61. m. 3. a. 1—4; a qua in pluribus his S. Bonaventura dependet.

quam S. Gregorio. Vel potest accipi in sensu minus communi S. Bernardi [de Gratia et lib. arb. c. 14. n. 46.] et tunc gratia praeveniens et subsequens significat gratiam gratis datam et gratum facientem. Vel potest sumi in sensu stricto S. Augustini [de Natura et gratia, c. 31. n. 35.] et in tali casu gratia praeveniens et subsequens nuncupatur gratia gratum faciens et gloria.

Omnibus his divisionibus S. Bonaventura usus est interpretando venerandam antiquitatem. Nec eas ut proprias profert, sed potius ut alienas profitetur. Proprio autem marte ille praefert simpliciorem divisionem gratiae: generaliter, specialiter et proprie.

Gratia generaliter accepta est omne donum a Deo datum. Haec gratia nihil aliud est quam gratia creationis, quae, stricte loquendo, veri nominis gratiam non constituit.

Gratia specialiter accepta est gratia gratis data seu actualis, sine qua „nullus sufficienter facit quod in se est, ut se praeparet ad salutem“[1]), nec „potest ad gratiam gratum facientem se disponere“.[2]) Haec gratia ab eo definitur; „Adiutorium divinitus datum, ut quis praeparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum [scilicet gratiam gratum facientem]“[3]). Haec gratia „tenet quasi medium inter donum gratiae gratum facientem et naturalem libertatem voluntatis.“[4]) Haec gratia eiusdem est generis ac gratia gratum faciens. Ratio est, quia gratia gratis data, cum sit dispositio hominis ad gratiam gratum facientem, S. Bonaventura exinde arguit, prius definitione dispositionis ab Aristotele munitus: „Dispositio est eiusdem generis cum eo ad quod disponit [Aristot., de Praedicam. c. de Relatione]: ergo ad bonum gratuitum non potest quis se disponere nisi per aliquid gratis datum: ergo impossibile est, quod ad illud se disponat liberum arbitrium, omni gratia destitutum.“[5]) Haec gratia est supernaturalis quoad substantiam, atque differt a ceteris donis praeternaturalibus, et charismatibus supernaturalibus.[6]) A gratia vero gratum faciente a parte sui non differt secundum essentiam, sed ex parte suscipientis per accidens, in quantum in hoc casu prius subiectum informat excitando illud, ut ipsi consentiat, et postquam ab eadem adiutum ipsi consenserit, illud reformaret recreareturque.

Gratia proprie sumpta est gratiagratum faciens, quae dicitur „adiutorium datum divinitus ad merendum“.[7]) Haec gratia, licet possit una individuo inesse, ratione diversorum effectuum, quos in animam

---

[1]) S. Bonaventura, Brevil. p. V. c. 2.
[2]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.
[3]) „ „ Brevil. p. V. c. 2.
[4]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.
[5]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. fund. 3.
[6]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.; cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 3. a. 5.:
„Quod ergo gratia dicatur informans et reformans . . . hoc non est ex parte sui, sed ex parte suscipientis“ [ad 1]. „Ergo gratia sacramentalis et gratia sine sacramento non differt secundum illud, quod datur: quia utrobique datur gratia eadem per essentiam: sed differt quantum ad illud, per quod datur“ [Ib. ad 2.].
[7]) S. Bonaventura, Brevil. p. V. c. 2.

producit, dividitur a S. Bonaventura distinctione rationis in gratiam sacramentalem, finalem et consummantem.

Gratia sacramentalis, cum ex Sacramentis sive vivorum sive mortuorum proveniat, rursus ratione specialis effectus dividitur in gratiam corroborantem et curantem, sive augmentantem et iustificantem.

Gratiam autem Christi, dividit item secundum rationem in gratiam singularis hominis, in gratiam capitis et in gratiam unionis. Prima respicit naturam humanam Christi ut hominis; secunda connotat effectum circa membra Christi; tertia circa unionem duarum naturarum in persona divina Christi.

Christo unice competit plenitudo superabundantiae gratiae; B. Virgini Mariae, genitrici Verbi incarnati, ratione maternitatis divinae competit plenitudo praerogativae gratiae; sanctis seu viventibus in gratia sanctificante competit plenitudo sufficientiae gratiae secundum plus et minus.

Articulus VI. De gratiae definitione.

Gratia, in genere sumpta, a S. Bonaventura definitur hisce verbis: **„Gratia est influentia a Deo exiens et ad Deum reducens."**[1])

Hanc quidem generalem definitionem ille composuit influxu doctrinae Pseudo-Dionysii[2]) et Augustini[3]), ubi comparantur sub variis formulis figurarum diversitates modorum essendi ex diversitate effectuum. Hoc sensu consulte ait: „Quidam enim est **effectus**, secundum quem comparatur res ad Deum per modum **exeuntis**; et hi omnes continentur sub modo naturae, extenso nomine. Quidam per modum **redeuntis**; et hic est effectus gratiae inchoatae, vel consummatae, vel gloriae et quantum ad hunc est secundus **modus essendi.** Quidam est effectus, secundum quem comparatur creatura ad Deum ut **perveniens,** et hic est effectus unionis, in qua uniuntur in unitate personae creatura et Creator, ut Deus-homo. Quoniam igitur tres sunt modi effectuum, secundum quos creatura diversimode comparatur ad Deum; ideo tantum tribus modis dicitur esse in rebus. Et primus, qui attenditur quantum **ad exitum,** assimilatur lineae rectae; secundus, quantum **ad reditum,** lineae reflexae; tertius, quantum **ad perventionem, assimilatur circulo."**[4])

A S. Bonaventura natura generalis definitionis gratiae, ut supra extenso nomine sumptae, in sequentibus magis magisve restringitur, melius ac precisius determinatur: **„Ipsa nihilominus est donum, per quod anima perficitur et efficitur sponsa Christi, filia Patris aeterni et templum Spiritus sancti . . . Ipsa denique est donum, quod animam**

[1]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 2. a. 3. q. 2. in corp.

[2]) Ps.-Dionysius, de Div. Nom., c. 4. § 4. 8. 10. 14; de Caelesti Hier., c. 1.; Ed. Venetiis 1750.

[3]) S. August. Epist. 187. c. 4. n. 15; c. 5. n. 16; c. 6. n. 19.; c. 12.

[4]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 37. p. 1. a. 3. q. 2. in corp.

purgat, illuminat et perficit; vivificat, reformat et stabilit; elevat, assimilat et Deo iungit, ac per hoc acceptabilem facit."[1])

In his posterioribus a S. Bonaventura dictis resplendet ingenii eius mira compenetratio in munus, naturam proprietatesque gratiae gratum facientis. Ideoque subdit: **„Propter quod donum huiusmodi gratia gratum faciens recte dicitur et debuit appellari."**[2])

Quid dico? Si procedam in istam rem cum analysi critica, certe detegam magnam agilitatem intellectus S. Bonaventurae, ut theologi, qua totam doctrinam Ps.-Dionysii de caelesti hierarchia in paucis verbis scivit redigere et accomodare abstractae notioni gratiae, ut eam, quantum humanae rationi possibile erat, facilius perciperet, cum vividioribus coloribus describeret, et ut talem aliis referret.

Ne alicui videretur me loqui arbitrarie, vellem ut ipse **Ps.-Dionysius [de Caelesti Hierarchia, c. 3. § 2.; c. 7. § 3.; c. 9. § 2, et c. 10.]** legeretur et invenietur, quod ille docet **tres actus** angelis convenire: scilicet **purgare, illuminare et perficere,** tum secundum ordinem hierarchiae, tum secundum dispositionem ordinum in hierarchia, tum secundum dispositionem personarum in ordine, ita quidem, ut prima hierarchia sit tantum a Deo illuminata, illuminans mediam et ultimam; media autem sit illuminata a prima et illuminans tertiam; tertia tandem sit illuminata, non illuminans aliquam hierarchiam angelicam, sed tantum ecclesiasticam. Inde ratio praecipua sumitur, quod inferiora per superiora reducuntur ad Deum.

Estne vera haec animadversio?

Ipse S. Bonaventura alio in loco eamdem notionem gratiae gratum facientis perfectius declarat: „Sic gratia est spiritualis influentia, quae mentes rationales fonti lucis assimilat et conformat. Haec autem influentia recte dicitur gratia, tum quia datur ex mera liberalitate, nulla naturae cogente necessitate — non enim oritur ex principiis subiecti, nec a Deo exit de necessitate, sed sua mera benignitate — tum etiam, quia gratum facit — dum enim hominem Deo conformat et assimilat, reddit ipsum Deo amicum et facit Deo esse placitum et acceptum — tum etiam, quia facit hominem gratis facere ea quae facit."[3])

Post hanc definitionem gratiae extenso nomine sumptae S. Doctor refert quasdam notiones gratiae ob antiquis propositae simulque eas explicando in quonam sensu accipiendae sunt.

Primo ad definitionem gratiae Petri Lombardi, quae sit **„fides cum dilectione"** [II. Sent. d. 26. c. 3.] dicit: „Quod Magister non intendit in illo verbo notificare gratiam gratum facientem, quantum ad suam essentiam, sed intendit eam notificare quasi per posterius et quodam modo per effectum. Cum enim habitus cognoscantur per actus [Aristot., IV. Ethic. c. 2.], et actus gratiae duplex sit secundum duplicem potentiam, videlicet secundum intellectum et affectum: ideo per illos habet gratia notificari. **Et quia in illos actus non exit gratia,**

[1]) S. Bonaventura, Brevil. p. V. c. 1.
[2]) „ „ Brevil. p. V. c. 1.
[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 2. in corp.; cfr. S. Dionysii Omnia opera, Venetiis 1750 Typis Antonii Zatta.

nisi mediantibus habitibus virtutum, videlicet fidei et caritatis, ideo notificans gratiam dicit . . ., quod per istos duos habitus habet anima in actus exire, per quos innotescit nobis gratia."[1])

Secundo, quare **pluralitas** definitionis gratiae admittenda sit, sic ratiocinatur, quia „gratia habet comparari ad suum principium, ad suum subiectum, ad suum oppositum, ad suum effectum, ad suum praemium; et secundum has diversas comparationes, concludit, diversae reperiuntur eius notificationes."[2])

„Secundum comparationem ad suum principium est illa Isidori[3]): „Gratia est divinae misericordiae donum, per quod bonae voluntatis est exitus."

Per comparationem autem ad suum subiectum . . . est illa . . . Psalmi[4]): Ut exhilaret faciem in oleo: »Gratia est quidam nitor animae ad conciliandum sanctum amorem.«[5])

Per comparationem ad suum **oppositum**, est illa quae datur in Glossis super Epistolas[6]): »Gratia est iustificatio et remissio peccatorum.«

Per comparationem ad suum **effectum**, est illa Chrysostomi[7]): »Gratia est sanitas mentis et delectatio cordis.«

Per comparationem autem ad suum **praemium**, est illa: Gratia est similitudo gloriae"[8]), quam definitionem his terminis declarat: „Gratia gratum faciens et gloria non differunt per essentiam; sed si differunt aliquo modo, hoc est sesundum comparationem aliam et aliam — et sic simul sunt in eodem, sicut in Beatis et in Christo, qui dicuntur habere gratiam et gloriam — vel secundum statum alium et alium, secundum quod successive eidem insunt, quia primo inest gratia in statu viae et postmodum gloria in statu patriae. Primo enim gratia inchoatur et postmodum consummatur."[9])

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.
[2]) „ „ II. Sent. d. 26. dub. 2.
[3]) „ „ II. Sent. d. 26. dub. 2.; Isidor. II. Different. c. 32. n. 115: „Gratia autem est divinae misericordiae donum gratuitum, per quod et bonae voluntatis initium et operis promeremur effectum.; Romae 1802, t. V. p. 101.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.; Ps. 103, 15. (in Vulg.); Ps. 104, 15 (in Hebr.).
[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.; haec definitio delibata est ex August. Sermone 3. n. 13. super Ps. 103, 15 et integra sic sonat: „Gratia Dei, nitor quidam in manifestationem; sicut dicit Apostolus [1. Cor. 12, 7.]: Unicuique autem datur Spiritus ad manifestationem. Gratia quaedam, quae est hominum ad hominem perspicua, ad conciliandum sanctum amorem, oleum dicitur, in nitore divino." [Migne, P. L. T. 36, 1369—1370.]
[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.; in Glossa interlin. super Rom. 1, 5 et 5, 15. Glossa ordinaria in 1. Tim. 1, 2 annotat: „Misericordia hic accipitur pro eo quod in aliis Epistolis gratia dicitur, id est remissio peccatorum."
[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.; Chrysostomus explicans ad Rom. 1, 7: Gratia vobis et pax, dicit [Homil. 1. n. 4], quod: „Hilaritatem enim et laetitiam non imperii magnitudo . . . parere solet, sed recte factum spirituale tantum et bona conscientia." Ibid. c. 5, 17 abundantiam gratiae interpretans ait [Homil. 10. n. 2.]: „Haec itaque omnia abundantiam gratiae Paulus vocavit ostendens, nos pharmacum accepisse non modo par vulneri, sed etiam sanitatem" etc.
[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.; [Migne, P. Gr. T. 50. col. 400 et 477.]
[9]) „ „ II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3. in corp.

His **omnibus** generalibus **notificationibus** gratiae videtur S. Bonaventura **non remansisse satisfactus,** quia in fine addit: „**Secundum autem omnes comparationes istas sic assignatur una definitio magistralis, quae talis est: Gratia est forma, a Deo gratis data sine meritis, gratum faciens habentem et opus eius bonum reddens.**“[1])

Haec definitio gratiae a S. Bonaventura ut specialis designatur. Cum sit ab eo ut magistralis proposita, oportet illam aliquo modo declarare. Cur dixit: gratiam esse formam? Quia, ut supra vidimus in articulo secundo, quando sermo erat de natura intima gratiae, S. Bonaventura applicans notionem stricte dictam philosophicam, Aristotelis de habitu[2]) quidditati gratiae, arguit contra Praepositivum[3]), Alexandrum Halensem[4]) et B. Albertum Magnum[5]) gratiam non esse habitum, sed „originale principium illorum quantum ad esse primum“ [III. Sent. d. 23. a. 2. q. 5. in corp.] et gratuitum. Habitus sunt virtutes infusae et potentiae operativae ipsius gratiae. Illa autem eis omnibus praeest ut „radix et principium“ [IV. Sent. d. 18 p. 2. dub. 3.] informans omnes ad operandum, dum caritas eas iungit fini. [III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 1.] Habitus sunt plures sed gratia gratum faciens in una anima potest unica esse. [II. Sent. d. 27. a. 1. q. 2. in corp.]: Ergo gratia non est habitus, sed forma.

„A Deo gratis data sine meritis“, quia duplex gratia est: gratum faciens et gratis data [Brevil. p. V. c. 2.]. Prima est in facto esse: dispositio salutis; secunda vero disponens in fieri ad salutem. [IV. Sent. d. 7. a. 1. q. 3. ad 2.]. Prima iam praesuponit infusionem iustitiae; secunda autem ad illam adipiscendam praeparat: „Quia praedispositio ad formam completivam debet esse ei conformis; ad hoc, quod liberum arbitrium se disponat ad gratiam, gratum facientem, indiget adminiculo gratiae gratis datae; et quia gratiae est liberum arbitrium non cogere, sed praevenire, et simul utriusque est in actum prodire: hinc est, quod in nostra iustificatione concurrit actus liberi arbitrii et gratiae, consone quidem et ordinate, ita quod gratiae gratis datae est excitare liberum arbitrium; liberi arbitrii autem est huiusmodi excitationi consentire, vel dissentire; et consentientis est ad gratiam gratum facientem se praeparare, quia hoc est facere quod in se est; et sic disposito gratia gratum faciens habet infundi, cui liberum arbitrium potest cooperari, si vult, et tunc meretur; vel contrariari per peccatum et tunc demeretur. Si ergo cooperetur ei usque in finem, meretur pervenire ad aeternam salutem.“ [Brevil. p. V. c. 3.]. Gratiam gratis

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. dub. 2.

[2]) „ „ II. Sent. d. 27. a. 1. q. 1. ad opposit. 4.; Aristot., II. Ethic. c. 1.

[3]) B. Albertus S. p. II. tr. 16. q. 98. m. 3.: „Praepositivus et alii antiqui magistri sic definierunt eam: Gratia est habitus infusus, divinae bonitati et caritati similis, gratum facieus habentem et opus eius gratum reddens.“

[4]) Alexander Halensis, S. p. III. q. 61. m. 2. a. 6. „Gratia est habitus mentis, universaliter totius vitae ordinativus.“

[5]) B. Albertus, S. p. II. q. 98.: „Gratia universalis est habitus informans subiectum, id est essentiam animae et potentias eius ac opera.“

datam in ordine ad iustificationem nemo potest mereri, sed in adultis numquam infunditur gratia gratum faciens sine praeparatione liberi arbitrii motu praevenientis gratiae gratis datae: „In adultis dico, quia in parvulis sufficit fides Ecclesiae et meritum Christi, et excusat impotentia sui." [Brevil. p. V. c. 3.; IV. Sent. d. 4. p. 1. dub. 2.] Gratia gratum faciens est perfectio accidentalis in anima simpliciter;" gratia gratis data dicitur perfectio accidentalis „ad hoc" [I. Sent. d. 15 a. unicus q. 2.]. Gratia gratis data potest stare cum peccato mortali in anima, sed non gratia gratum faciens. [Brevil. p. V. c. 3.]. Gratia gratis data essentialiter differt a gratia gratum faciente, quia prima se habet ad secundam, sicut „praedispositio ad formam completivam." [Brevil. p. V. c. 3.], non obstante quod pertineant ad idem genus. [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. fund. 3.]. Gratia gratis data differt essentialiter a gratia gratis data charismatum, quippe quae non est data ad sanctificationem propriam, sed ad utilitatem alienam. [II. Sent. d. 26. dub. 2.]. Gratia gratum faciens proinde ab eo definitur: „Adiutorium datum divinitus ad merendum" [Brevil p. V. c. 3.]; gratia vero gratis data: „Adiutorium divinitus datum, ut quis praeparet se ad suscipiendum Spiritus sancti donum [id est gratiam gratum facientem], quo perveniat ad meriti statum." [Brevil. p. V. c. 3]; gratia gratis data charismatum: „Est manifestatio spiritus ad utilitatem." [II. Sent. d. 26. dub. 2.]

„Gratum faciens habentem et opus eius bonum reddens", ratio est, quia gratia gratum faciens est „causa formalis ipsarum virtutum gratuitarum, quae virtutes ceteras quantum ad habitus sibi substratos perficit et informat, et hoc per suam praesidentiam et influentiam, per quam animam facit gratam et quantum ad se et quantum ad eius potentias." [III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 1. in corp.] Gratia gratum faciens per se non agit sicut et anima, sed mediantibus diversis variisque habitibus infusis, cuius sunt potentiae operativae: „Ideo gratia gratum faciens ramificatur in habitus virtutum, quorum est animam rectificare; in habitus donorum, quorum est animam expedire; et in habitus beatitudinum, quorum est animam perficere" [Brevil. p. V. c. 4.; III. Sent. d. 34. p. 1. a. 1. q. 1.]. Attamen „omnis rectitudo virtutum secundum esse, gratuitum manat a gratia tanquam ab origine et radice; et secundum esse meritorium comparatur ad caritatem sicut ad originem, formam et finem." [Brevil. p. V. c. 4.]. „Unde sicut ceterae virtutes, licet formaliter distinguantur in genere virtutis, tamen a gratia formantur, secundum quod gratuitae; sic etiam ceterae virtutes, quamvis sint distinctae, a caritate formari possunt, secundum quod meritoriae; perfectionem enim meriti habent ex unica ratione, videlicet ex perfecta tendentia in summum finem." [III. Sent. d. 36. a. unicus. q. 6 ad 2.]

S. Bonaventura antequam exhibuit suam magistralem definitionem gratiae: unam generalem et extenso nomine acceptam praemittit, qua potius delineatur finis gratiae quam ipsa gratia, scilicet: „Gratia est influentia a Deo exiens et ad Deum reducens." [III. Sent.

d. 2. a. 3. q. 2. in corp.]. Hanc definitionem S. Doctor composuit influxu doctrinae S. Augustini de praesentia Dei in rebus creatis sive materialibus sive spiritualibus [I. Sent. d. 37. p. 1. a.3. q. 2; August., Epist. 187. c. 6. n. 19; II. Contra Maximinum c. 21. n. 1.; Enarrat. in Ps. 122., 1. n. 4.], nec non suggestu doctrinae Ps.-Dionysii [de Div. Nom., c. 4. § 4. 8. 10. 14.; de Caelesti Hier. c. 1; c. 3. § 2; c. 7. § 3.; c. 9. § 2. et c. 10] de influentia Dei in easdem res ab Augustino memmoratas.

Postea affert nonnullas notificationes gratiae ab antiquis propositas, explicando eas quomodo concipiendae sunt.

In fine ponit suam magistralem definitionem gratiae, quae simul praedocet suum conceptum de gratia et quae summatim quasi totam eius doctrinam de ipsa repraesentat.

Pars secunda.

De gratia in comparatione ad liberum arbitrium.

Caput I.

De libero arbitrio.

Articulus I. De liberi arbitrii notione.

Cum prima vice occurrit liberum arbitrium, explicandum est, quidnam S. Bonaventura sentiat de hoc nomine? Liberum esse, ait ille, „cuius est eligere bonum et fugere malum.“[1]) „Arbitrium enim idem est quod iudicium, ad cuius nutum ceterae virtutes moventur et obediunt. Judicare autem illius est secundum rationem completam, cuius est discernere inter iustum et iniustum, et inter proprium et alienum.“[2])

Resoluta nominis significatione, quaerenda est vera ac genuina explanatio notionis liberi arbitrii, quae apud S. Bonaventuram invenitur. In processu huius inquisitionis, ante omnia ille ponit regulam Aristotelis: „Unius rei unica est definitio“[3]), deinde referendo liberi arbitrii diversas definitiones a philosophis theologisque propositas, de eis proprium iudicium fert.

Primo recenset definitionem n o m i n a l e m liberi arbitrii a quibusdam modo exhibitam, quod liberum arbitrium sit: **„Liberum de voluntate iudicium.“**[4]) De qua S. Doctor ait: „Potius est n o m i n i s i n t e r p r e t a t i o, quam rei definitio.“[5]) Insuper eam reprehendit ut definitionem insufficientem et t a u t o l o g i c a m.[6]): „In qua sunt tot vocabula ex parte d e f i n i t i o n i s, quot ex parte d e f i n i t i, utpote si quis definiens tunicam nigram, dicat, eam esse colobium atrum.“ Quae autem definitio nec est bona per se, nec est bona secundum

[1]) II. Sent. d. 25. a. unicus. p. 1. q. 1 ad oppositum 1.

[2]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 1. in corp.

[3]) II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 2; cfr. Aristot., VI. Topic. c. 3. (c. 4.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. I. Topicon 4. 142.a 8.

[4]) S. Bonaventura resolvit dub. c. litt. Magistri, II. Sent. d. 25. p. 1. c. 1, qui eam delibavit ex Boëthio, III. super libr. Perihierm. (ed. 2); Gandolpho, II. Sent. c. 193; Hugone, I. de Sacram. p. 5. c. 20, et Sent. tr. 3. c. 9.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 1.

[6]) S. Bonaventura, ibid. et apud Aristot., VI. Topic. c. 5. (c. 11.) ad rem: „Amplius [videndum est], si, cum sit compositum, quod definitur, a e q u i m e m b r i s [aequicola, in Graeca idiomate iscolos] oratio assignetur definitio. A e q u i m e m b r i s autem dicitur oratio esse, quando quot fuerint composita, tot et in oratione nomina et verba fuerint . . . . sic enim et in simplicibus qui nomen commutat non definiturus est, ut pro tunicâ vestem Amplius autem malus peccatum, si et per ignotiora nomina commutationem fecerit, ut pro homine albo terrigenam candentem.“ Vox: colobion significat tunicam brevem sine manicis.

artem philosophicam. Non est bona per se, quia magis dicitur liberum arbitrium, quam liberum iudicium. „Iudicium, S. Doctor inquit[1]), importat actum rationis regulatum secundum regulas veritatis sive supernae legis; arbitrium vero importat actum rationis regulatum secundum imperium voluntatis . . . Et quoniam liberum arbitrium, quantum est de se, decernere habet de agendis iuxta voluntatis nutum magis quam iuxta iuris praeceptum; hinc est, quod magis proprie nominatur per nomen arbitrii quam per nomen iudicii.“ Non est bona secundum artem philosophicam ex ratione supra allata.

Examinata definitione nominali liberi arbitrii, S. Bonaventura transiit ad realem. Primo refert definitionem S. Augustini: „Liberum arbitrium est facultas voluntatis et rationis, qua bonum eligitur“[2]); secundo illam Anselmi: „Liberum arbitrium est potestas servandi rectitudinem propter se ipsam“[3]); tertio illam Bernardi: „Liberum arbitrium est consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem et rationis indeclinabile iudicium.“[4])

Postea iudicans de illis, agnoscit eis respectivum valorem, non quasi de una eademque re possint plures definitiones esse legitimae atque verae, sed una eademque res cum ex diversis aspectibus considerari possit, certe nihil obstat, quin de una eademque re plures definitiones enascantur habentes quaelibet earum suum proprium respectivum valorem, qui nec afficit nec praeiudicat in aliquo uni definitioni, quae vera, realis atque universalis esse potest.

His positis, S. Bonaventura inquit, quod liberum arbitrium potest tripliciter considerari atque sumi: „Aut in sui generalitate, secundum quod convenit creaturae et Creatori“[5]) tunc vera est illa Anselmi. „Aut secundum esse, quod habet in creatura, non concernendo statum“[6]), tunc est valida illa Bernardi. „Aut quantum ad statum viatoris“[7]), et tunc est sincera illa Augustini.

[1]) II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 1.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 2. — Haec definitio ad litteram invenitur apud P. Lombardum, II. Sent. d. 24. p. 1. c. 3: „Liberum vero arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum eligitur, gratia assistente, vel malum, eadem desistente.“ Magister enim absque ullo dubio eam delibavit ex Hugone (Sent. tr. 3. c. 8.), qui eam Augustino (I. de Lib. Arb. c. 7. n. 16. seqq.) tribuere videtur.

[3]) De Lib. Arb., c. 3.: Ergo quoniam omnis libertas est potestas, illa libertas arbitrii est potestas servandi rectitudinem . . .“ Ed. Venetiis ad signum spei 1549, fol. 64.[b]

[4]) De Lib. Arb. c. 2. n. 4.; „Is ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem et rationis quod secum semper et ubique portat indeclinabile iudicium, non incongrue dicetur, ut arbitror, liberum arbitrium.“ [Migne, P. L. T. 182. col. 1004.]

[5]) II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 2.

[6]) Ibid. d. 25. p. 1. dub. 2.

[7]) Ibid. d. 25. p. 1. dub. 2.; cfr. etiam Alex. Halensis, S. p. II. q. 72 m. 2. a. 2. § 4; et B. Alberti M. II. Sent. d. 25 a. 3; S. p. II. tr. 4. q. 16. m. 2. — S. Bonaventura sicut et S. Anselmus, (de Libero Arb. c. 1.), non tribuunt Deo et creaturae libertatem arbitrii secundum eandem rationem univocationis, „sed potius analogiae et consimilis habitudinis, quae inter Deum et creaturam esse potest, sicut in primo libro in pluribus locis (I. Sent. d. 1. a. 3. q. 1. ad 1; d. 3. p. 1. q. 2. ad 3; d. 25. a. 2. q. 2; d. 29. a. 1. q. 2.) ostensum est.“ II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 3. Ita in II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 1. clare dicit: „Dignitas enim liberi arbitrii increati superexcellit dignitatem omnis liberi arbitrii creati.“

Cum liberum arbitrium rationali tantum creaturae insit, quippe quae sola consilio et ratione ducitur, cetera animantia irrationalia „sicut in appetendo et prosequendo magis aguntur quam agant, sic etiam in abstinendo vel se retrahendo magis reprimuntur, quam se reprimant“[1]), ideo liberum arbitrium optime definitur: **Cum dicitur esse facultas rationis et voluntatis.“**[2]) „Liberum arbitrium est facultas, quae quidem non est substantia rei, sed quaedam habilitas.“[3]) Habilitas autem „est potestas servandi rectitudinem, quod non est ipsa rectitudo; et ideo potest a rectitudine obliquari, quantum est de se, in creatura. In Deo autem liberum arbitrium est ipsa divina essentia, est etiam ipsa iustitia, ideo nec obliquari potest nec mutari“[4]). Proinde secundum speciales conditiones, inquit S. Bonaventura: „Liberum arbitrium, aliter in Deo, et aliter in creaturis reperiri. Si loquamur secundum generales conditiones, sic liberum arbitrium dicit facultatem liberam a coactione et ordinatam ad rectitudinis conservationem. Et hoc modo reperitur in creatura et Deo conformiter et secundum eandem rationem, non conformitate et unitate univocationis, sed potius analogiae et consimilis habitudinis, quae inter Deum et creaturam esse potest.“[5]) „Facultas enim non tantum nominat potentiam, immo facilitatem potentiae, ex qua non tantum potens est, sed etiam praepotens est ad exeundum in actum; et ideo facultas dicit potestatem sive dominium, quod quidem dicitur esse rationis simul et voluntatis, quia non est unius, nisi concomitante altera.“[6]) Exinde secundum S. Bonaventuram liberum arbitrium „non comprehendit totam rationem, nec totam voluntatem; sed comprehendit solum ipsam potentiam cognitivam, in quantum iuncta est affetivae, et affectivam, in quantum iuncta est cognitivae; unde dicit affectum deliberativum, vel deliberationem voluntariam . . . Quia ratio nominat ipsam potentiam cognitivam ut ordinatam ad affectivam, et voluntas

---

[1]) II. Sent. d. 25. p. 1. q. 1. ad 3.
[2]) II. Sent. d. 25. p. 1. q. 3. in corp.; Brevil. p. II. c. 9. in fine.
[3]) II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 3.
[4]) II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 3.
[5]) II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 3. — S. Thomas, (II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1.), etsi improprie eodem modo liberum arbitrium definiverit ac S. Bonaventura, scilicet, quod sit: „Facultas voluntatis et rationis,“ quae: „secundum communem usum loquendi significat potestatem qua aliquid habetur ad nutum: unde et possessiones facultates dicuntur, quia in dominio sunt possidentis: et ideo liberum arbitrium facultas dicitur, non quasi habitus quidam, sed quia actum suum in libera potestate habet, unde et liberum nominatur“, (ibid. ad 2), tamen ei praeplacet alia, qua liberum arbitrium exhibetur: **„Potentia quae se ad opposita habet.“** (De Verit., q. 24. a. 4.). Definitio S. Thomae similis est illi Alexandri Halensis (S. p. II. q. 72. m. 2. a. 3. § 5): **„Hoc** [liberum arbitrium] **enim nihil aliud est, quam potestas rationalis ad opposita.“** Scotus etiam adoptans eam dicit: delibatam esse ex Aristot. IX. Metaph. text. 10. (c. 6), cfr. II. Sent. d. 25. q. unicam. n. 2., etiam eiusdem Comment. ad. l. c. Aristotelis, S. l. c. 5. n. 19—23. — Haec nota retinenda est, quippe multum iuvabit postea ad discernendum, quare quidam dixerunt: essentiam liberi arbitrii esse habitum, alii vero: potentiam.
[6]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3. in corp.

ipsam affectivam ut regulatam et ratiocinatam a cognitiva; hinc est, quod liberum arbitrium potius dicitur facultas voluntatis et rationis, quam intellectus et affectus."[1]) Et rationem sequentem affert: **Actus complectens totam intelligentiam est intelligere, actus complectens totam affectivam est affici"[2]). Proinde intellectus est virtus circa cognitionem veri et falsi in genere, affectus vero est possibilium vel impossibilium. „Sed liberum arbitrium est possibilium tantum: ergo ad plura se extendit: intellectus et affectus, quam liberum arbitrium."[3])**

Liberum arbitrium resultat ex concursu rationis et voluntatis se invicem adiuvantium ad faciendum vel omittendum ea quae in nostra potestate sunt[4]). Unde si talia operatur, actus liberos producit, qui proprie consistunt in eo quod facultas liberi arbitrii possit movere se ipsam et super actum suum reflectere. „Nisi enim posset, observat S. Bonaventura[5]), se super actum suum reflectere, numquam posset illum refrenare; nisi posset se ipsam movere, nec posset in illum exire, quando vellet. Reflectere autem se super se, hoc est virtutis cognitivae, sublimatae a materia, quae quidem est ratio. Movere autem se, hoc est virtutis appetitivae, rationem consequentis."

Postremum cum liberum arbitrium comprehendit solum ipsam potentiam cognitivam, in quantum iuncta est affectivae, et affectivam, in quantum iuncta est cognitivae, ut constitueret deliberationem voluntariam[6]) ad actum liberum producendum, „non complectitur eas omnino sicut totum integrale, nec omnino sicut totum universale, sed sicut totum potentiale, quod partim habet naturam totius integri, partim naturam totius universalis: naturam totius integri in hoc, quod in una potentiarum non potest salvari absque altera; naturam vero totius universalis habet, quia ex earum concursu ad invicem quamlibet earum denominat."[7])

His dictis, puto, quod exhibita est genuina explicatio notionis liberi arbitrii, quae apud S. Bonaventuram legitur. Nam primo inquisivit explicare radicem nominis liberi arbitrii; secundo retulit definitionem eiusdem nominalem, de qua ait, quod insufficiens sit, utpote non sit nisi lusus verborum [II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 1.]; tertio recensuit varias notificationes liberi arbitrii reales, quas exponit quonam sensu

---

[1]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3. ad 1. 2. 3. 4. simul.

[2]) II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 1. fundam. 4.

[3]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3. ad oppositum 4; vide etiam Aristot., III. Ethic. c. 2., qui idem docet; Ed. Acad. R. Borussicae, vol. II., Ethicon Nicomacheion 2. 1110b et 1111a.

[4]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus q. 3. ad 5: „Sic liberum arbitrium, etsi videatur una potentia, tamen diversas in se potentias complectitur, ita quod ex concursu illarum se invicem adiuvantium resultat in nobis regimen potestatis perfectae."

[5]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3. in corp.

[6]) II. Sent. d. 41. a. 2. dub. 3.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3. ad 6.

possunt admitti [II. Sent. d. 25. p. 1. dub. 2]; ultimo exhibuit de re definitionem magistralem: **„Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis.“** [Brevil. p. II. c. 9.], quae supra late declarata est[1]).

Articulus II. De liberi arbitrii essentia.

Secundum placitum S. Bonaventurae liberum arbitrium est: „Facultas rationis et voluntatis.“[2]) Talis facultas, utrum distincta sit a ratione et voluntate, an non, S. Doctor expresse dicit: „Super hac quaestione diversae fuerunt doctorum positiones.“[3]) Postea duas tantum cum omni possibili sinceritate, fidelitate atque reverentia refert.

Prima harum esset: **Alexandri Halensis**[4]), cui consentit **B. Albertus Magnus**[5]), defendens, quod **liberum arbitrium non communiter,** sed **proprie sumptum, sit potentia specialis, a ratione voluntateque prorsus distincta.**

Secunda vero est S. Thomae, quae directe opponitur primae, scilicet **„quod liberum arbitrium non est potentia ab his duabus potentiis** [ratione et voluntate] **distincta.“**[6])

---

[1]) Cfr. P. Marcellino da Civezza M. O., Della vera filosofia et delle dottrine filosofiche del s. dottor S. Bonaventura, Genove 1874. cap. XIX. p. 623 et seqq.

[2]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3. in corp.; Brevil. p. II. c. 9.

[3]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. in corp.

[4]) S. Bonaventura (II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. in corp.), ait: „Quidam enim dicere voluerunt, quod sicut mens dupliciter accipitur: aliquando **communiter,** et sic comprehendit memoriam, intelligentiam et voluntatum; aliquando **proprie,** et sic distinguitur contra intelligentiam et voluntatem: sic **liberum arbitrium** dupliciter accipitur, videlicet **communiter,** et sic non distinguitur contra rationem et voluntatem; et **proprie,** et sic contra rationem et voluntatem habet distingui et est virtus imperans rationi et voluntati et utramque regens et movens, cuius actus primus non est discernere et velle, sed actus reflexus super haec duo et haec duo movens et regens, ille videlicet, quo dicitur quis velle discernere, vel velle se velle. Et iste actus praeambulus est ad rationem et voluntatem, et ista potentia correspondet Patri, pro eo quod actus eius maxime potens est et primus est, cum non moveatur, sed moveat. Et ideo a Sanctis dicitur facultas sive potestas voluntatis et rationis, id est potestas faciliter movens voluntatem et rationem.“

Alex. Halensis (S. p. II. q. 72. m. 2. a. 1. § 2.): „Sed nota de libero arbitrio sicut de mente: mens nostra aliquando comprehendit totam cognitivam . . . . et hoc modo dicit Magister in I. Sent. d. 3. p. 2. c. 2 [cfr. August., XIV. de Trinit. c. 8. n. 11.], quod ista tria, scilicet memoria, intelligentia, et voluntas sunt una mens. Alio vero modo est pars imaginis, secundum quam mens dicitur a servando similitudinem, intelligentia a cognoscendo, voluntas ab appetendo summam veritatem. Similiter ex parte motivae liberum arbitrium aliquando sumitur **distincte,** aliquando **indistincte. Indistincte secundum quod est potentia animae universalis: et actus eius sunt actus aliarum . . . . Alio modo sumitur distincte,** secundum quod eius actus est, facere pro libito . . . .: **hoc autem modo secundum quem distincte accipitur, est potentiâ distincta a ratione et voluntate“** etc.

[5]) Albertus M., S. p. II. tr. 14. q. 91. m. 3. a. 1.

[6]) S. Bonaventura (II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3 in corp.), ait: „Aliis autem aliter videtur, **quod cum rationis et voluntatis sit reflectere se super se, et istae duae potentiae sufficiant ad omnes actus animae perficiendos,** videlicet ad iudicandum et fugiendum et eligendum, **quod frustra poneretur**

S. Bonaventura, homo benignae indolis pacificique ingenii, licet in re S. Thomae consentiat, dum cum eodem negat[1]), liberum arbitrium esse potentiam aliam atque distinctam a ratione et voluntate, tamen altera ex parte nititur utrasque sententias inter se, quantum possibile fuerit, conciliare[2]), non admittendo aliam distinctionem liberi arbitrii a ratione et voluntate esse, quam illam **rationis** et **appropriationis**[3]), quae nihil super rationem et voluntatem secundum essentiam addit. Et ad probanda haec sequenti modo discurrit: „Loquendo autem de distinctione potentiarum secundum **rem**, sic liberum arbitrium non dicit potentiam diversam vel distinctam a ratione et voluntate, pro eo quod potentiae animae rationalis sufficienter dividuntur per cognitivam et motivam, et omnes actus animae per has potentias, quae sunt cognitiva et affectiva, sive ratio et voluntas, exerceri possunt, sicut rationes, quae ad hoc inducuntur, ostendunt. **1.ª Cum enim tam ratio quam voluntas sit nata super se reflecti; cum nomino voluntatem ut** volentem aliquid, **et voluntatem** ut **volentem se velle, non dico potentiam aliam et aliam** secundum rem. **2.ª Movens enim et motum in spiritualibus non oportet differre secundum substantiam,** quia, sicut dicit Anselmus[4]), **voluntas est instrumentum se ipsum movens", et ratio etiam est virtus se ipsam cognoscens, pari ratione; et ideo, si aliqua est ibi distinctio, haec est solum** secundum **rationem."**[5])

---

in anima aliqua potentia differens ab istis. Si igitur „natura nihil facit frustra"[1]), potentiae animae rationalis sufficienter dividuntur per cognitivas et affectivas, sive per rationem et voluntatem; et **ideo dicunt, quod liberum arbitrium non est potentia ab his duabus potentiis distincta."**

S. Thomas (II. Sent. d. 24. q. 1. a. 3): „Non oportet quod iudicium actus cuiuslibet potentiae pertineat ad aliam potentiam, quia sic abiretur in infinitum; **sed est devenire ad summas potentias, quae super suos actus reflectuntur, sicut est voluntas, et ratio:** et **ideo non oportet quod sit alia potentia iudicans de actu voluntatis, et rationis.** Iudicium autem liberi arbitrii intelligitur iudicium electionis: unde quod dicitur liberum de voluntate iudicium, ly de non denotat causam materialem, quasi voluntas sit id de quo est iudicium, sed originem libertatis, quia quod electio sit libera, hoc est ex natura voluntatis." Ibid. ad 5; cfr. etiam de Verit. q. 24. a. 6; S. I. q. 83. a. 4.

[1]) II. Sent. d. 25. a. unicus. p. 1. q. 2. in corp.: „Cum enim dicimus, aliquam potentiam distingui ab aliis, hoc est dupliciter: aut secundum rem, aut secundum rationem. Secundum rem, sicut distinguitur intellectus et affectus; secundum rationem, sicut distinguitur ratio, ut est cognitiva et motiva, id est dictans moveri, vel disponens ad motum. — Loquendo igitur de distinctione secundum rationem, dici potest, liberum arbitrium quodam modo distingui a ratione et voluntate, in hoc scilicet, quod liberum arbitrium nominatur in ratione moventis, voluntas vero et ratio in ratione moti; hoc in ratione imperantis, istae duae in ratione exsequentis.

[2]) Ibid. **„Si velimus utramque earum intelligere diligenter et pie, ... adunius veritatis maiorem expressionem concurrere."**

[3]) Ibid. „Non enim concludunt distinctionem liberi arbitrii a ratione et voluntate secundum rem, sed. solum secundum rationem et appropriationem."

[4]) De Concord. praesc. et lib. arb. q. 3. c. 11.

[5]) Ibid. ut supra apud. S. Bonaventuram.

---

[1]) Aristot., I. de Caelo et mundo, text. 32. (c. 4): „Deus autem et natura nihil frustra faciunt"; Ed. Acad. R. Borussica, Aristoteles, latine, Berolini 1831. vol. III. de Caelo l., 4. 145a. 35 ita vertit: „Deus et natura nihil prorsus faciunt frustra."

His duobus argumentis rem probantibus ita ad utramque partem respondet: „Concedo enim, quod liberum arbitrium secundum rem non dicit potentiam distinctam a ratione et voluntate, concedo tamen nihilominus, quod aliquam distinctionem habet secundum rationem, ratione cuius dicitur facultas utriusque.“ [1])

Si autem liberum arbitrium non est aliqua potentia distincta a ratione et voluntate, investigandum est iterum, quid sit?

S. Bonaventura, antequam rem pertractare inceperat, valde praecise statum quaestionis determinavit, nempe distinguendo illos auctores qui de re ex professo agunt ab eis, qui eam tantum indirecte obiter tangunt. Quoad secundam positionem dicit: „Talis quaestio parum habet difficultatis, pro eo quod fere omnia nomina potentiarum animae aliquando accipiuntur pro potentiis, aliquando pro habitibus, aliquando pro actibus. Sicut enim vult Philosophus[2]), intellectus, vocatur aliquando potentia intellectiva, aliquando habitus intelligendi, aliquando actus.“ [3]) Quoad primam vero, qua sacri doctores „primo et principaliter“ [4]) innituntur istam quaestionem dirimere, ait: „Triplex est modus respondendi secundum diversos.“ [5])

Ad primam cathegoriam videtur: S. Joannis Damascenus pertenere, dicens: „Quod liberum arbitrium nomen est potentiae, quae se habet per modum universalis ad rationem et voluntatem, et comprehendit eas, sicut totum universale comprehendit partes.“ [6]) S. Bonaventura hanc improbat argumento ad hominem: „Si enim nominaret potentiam universalem ad rationem et voluntatem, iam, cum ratio et voluntas sint duae potentiae rationales, iam essent in eis duae libertates, et duo libera arbitria essent in quolibet homine.“

Ad secundam vero: **S. Thomas** docens[7]), quod **liberum arbitrium**

[1]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. in corp.

[2]) Aristot., II. de Anima, text. 21. (c. 2.) et III. text. 18. seqq.; text. 39 et text. 46. seqq. (c. 4. seq. c. 8. seqq.); Ed. Acad. R. Borrussicae, vol. I. Peri psyches B. 2. 414.a 27 et 28.; Peri psyches G. 4. 429.a 10—8. 431.b 20.

[3]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.

[4]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.

[5]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.

[6]) S. Bonaventura (II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.) inquit: „Quidam enim senserunt, quod liberum arbitrium nomen est potentiae, quae se habet per modum universalis ad rationem et voluntatem, et comprehendit eas, sicut totum universale comprehendit partes. Unde sicut potentia rationalis rationi et voluntati dicitur esse communis, sic et libertas arbitrii, secundum istum modum dicendi.“

S. Joannes Damascenus, II. de Fide Orthod., c. 22.: „In hominibus autem rationis compotibus: ducitur magis naturalis appetitus quam ducit libera enim potestate, et cum ratione movetur. Quoniam autem coniunctae sunt cognoscitivae et appetitivae virtutes in eodem: libera igitur potestate appetit, et libere vult, et libere inquirit, et considerat, et libere consultat, libere iudicat, libere amat, libere elegit, et libere movetur, et libere agit in iis quae secundum naturam sunt.“ [Migne, P. Gr. T. 47 lat. tantum edit. col. 477—478.]

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.: „Et ideo est alia positio, quod **liberum arbitrium** nominat **potentiam ex voluntate et ratione constitutam** ad aliquid faciendum, ad quod neutra illarum per se poterat. Et quia una iuncta alteri non tantummodo reddit potentiam potentem, immo etiam facilem.“

complectens rationem et voluntatem **neque sit habitus,** sicut S. Bernardus[1]) eiusque sequaces determinaverunt, **neque potentia habitualis,** ut Alexander Halensis[2]) et B. Albertus Magnus[3]) tenuerunt, **sed solum potentia.**[4])

Licet S. Bonaventura non improbet opinionem S. Thomae, eidem tamen obiicit: **„Quoniam difficile est intelligere, qualiter ex duabus potentiis una constituatur, vel quomodo liberum arbitrium, loquendo formaliter et proprie, sit duae potentiae, maxime cum non dicatur esse ratio et voluntas, sed facultas rationis et voluntatis."**[5])

His dictis, quaerit quoddam medium, in quo utriusque partis opinionem coniungeret, conveniretque in unum, nempe, **adhibendo triplicem modum, quo habitus inesse possit potentiae.**[6])

1. „Quaedam namque potentia respectu alicuius actus est facilis per se ipsam, ut patet, cum dicitur mens esse nata ad meminendum sui ipsius, vel intelligendum se[7]); et tunc talis habitus non differt a potentia secundum rem, sed secundum rationem et modum dicendi; et tunc non addit aliquid secundum essentiam, sed solum secundum rationem."[8])

2. „Quaedam est potentia, quae respectu alicuius actus est habilis per aliquid sui, sicut potentia intellictiva ad cognitionem figurarum geometricarum non est habilis per se ipsam sed potius per aliquod

---

S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1. in corp.: „Propterea, si consideretur ratio, et voluntas, non potest esse nisi tripliciter: aut quod utrumque secundum se consideretur; et sic constat quod utrumque est potentia; et ita quodcumque eorum ponatur, **liberum arbitrium erit potentia:** vel quod consideretur unum in respectu alterius; et nec sic potest dici, quod unum sit habitus alterius, quia **potentia** non est habitus potentiae . . . . Quod **voluntas** habeat dominium sui actus, **ex ipsa natura potentiae habet,** prout est imperans, et a nullo imperata: unde hanc facilitatem ex se habet, et non ex aliquo alio habitu.

[1]) S. Bernardus, de Libero Arbitrio, c. 1. n. 2.: „Liberum arbitrium est **habitus animi** liber sui." [Migne, P. L. T. 182, col. 1002].

S. Thomas eum expresse affert ad 1., II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1. et in responso nititur eum mitius explicare, dicens: „Quod Bernardus large utitur nomine **habitus** pro habitudine quadam." Tamen in corpore articuli eos qui dicunt: liberum arbitrium esse habitum, increpat: „Haec opinio non recte utitur nomine habitus: quia habitus secundum proprietatem sui nominis significat qualitatem quamdam . . . informantem. et perficientem potentiam." etc.

[2]) Alex. Halensis, S. p. II. q. 72. m. 2. a. 1.: **„Liberum arbitrium est potentia habitualis,** pro libitu eligentis, et ex hoc, quod habitualis est, habet quod facile exeat in actum."

[3]) B. Albertus, S. p. II. tr. 14. q. 91. m. 1.: „Re vera liberum arbitrium est **potentia perfecta** per habitum naturalem, et habitus ille libertas est."

S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1. in corp.: Et ideo quidam dicunt, quod **liberum arbitrium nominat potentiam** non **absolutam, sed habitualem,** id est prout est per habitum quemdam perfectą, non quidem acquisitum, vel infusum, sed naturalem, per quem habitum facilis est in suum actum . . ."

[4]) S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1; de Verit. q. 24. a. 4 et 5.

[5]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.

[6]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 5. in corp.: „. . . Cum habitus reddat potentiam facilem, et tribus modis potentia habeat esse facilis, tribus modis habet habitus ad potentiam comparari."

[7]) I. Sent. d. 3. p. 2. a. 2. q. 1. ad 1.

[8]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 5. in corp.

accidens, quod habet esse in ea; et tunc habitus talis addit supra potentiam non solum secundum rationem, sed etiam secundum essentiam et rem."[1])

3. „Aliqua vero potentia facilis est ad aliquem actum **per se ipsam, non tamen sola, sed cum alia**; et sic potentia rationalis sine aliquo habitu superaddito ex sola coniunctione sui cum appetitu nata est in actum consentiendi et eligendi exire. **Et hoc modo habitus vel facultas non addit aliquid diversum secundum essentiam, nec addit solum secundum rationem intelligendi, sed medio modo addit, secundum esse, quia non addit aliquid absolutum,** sed **respectivum**; sicut patet: cum dico rationem per se et rationem associatam sive adiunctam voluntati, non addo aliquid novum supra ipsam rationem secundum se, sed solum coniunctionem sui ad alterum, quantum ad aliquem consequentem actum. Unde sicut, quando plures concurrunt ad trahendam navem vel ferendum lapidem, potentia unius reddit potentiam alterius facilem, ita quod nulla nova virtus vel habititas advenit potentiae trahentis in se."[2])

His praemissis, tres speciales eruit conclusiones cum quarta generali ex tertio modo supra exposito, quo dicitur, quo modo unus habitus, posse inesse potentiae coniunctae cum alia.

1. „Quoniam igitur liberum arbitrium secundum propriam suam assignationem **facultas rationis et voluntatis recte esse dicitur**; hinc est, quod **liberum arbitrium principaliter dicit habitum** et complectitur rationem et voluntatem, non tanquam **una potentia ex eis constituta, sed tanquam unus habitus,** qui quidem recte dicitur facultas et dominium; qui consurgit ex coniunctione utriusque et potens est super actus utriusque potentiae, per se et in se consideratae."[3])

2. „**Liberum arbitrium, etsi accidens esse videatur,** in quantum sonat in rationem habitus, **secundum rem** tamen **non est accidens potentiae superadditum.**"[4])

3. „Et iterum, licet sit **habitus,** quia tamen non dicit habitum unius potentiae **absolute, sed cum relatione unius ad alteram; in duabus potentiis sive respectu duarum potentiarum potest esse unus.** Non enim est habitus superadditus per gratiae infusionem, vel per innatam dispositionem, **sed potius dicitur esse habitus, quo ratio et voluntas suis actibus dominantur; qui quidem est in eis ex sua naturali origine, pro eo quod naturaliter istae duae potentiae in eadem substantia sunt radicatae,** nec contingit, unam ab altera separari."[5])

Postremum generali aspectu totam quaestionem recolligens his verbis rem finit: „Concedendae sunt igitur rationes ostendentes, quod **liberum arbitrium** secundum **essentiam** nihil addit supra rationem et

---

[1]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 5. in corp.
[2]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 5. in corp.
[3]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp. Cfr. P. Marcellino da Civezza M. O., Della vera filosofia e delle dottrine filosofiche del s. dottor S. Bonaventura, Genova 1874. cap. XVIII. p. 612 et seq.
[4]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 5. in corp.
[5]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 5. in corp.

voluntatem; **addit tamen aliquo modo secundum esse sive secundum relationem,** quae quidem non ponit, aliquam novam qualitatem esse in ratione vel voluntate, sed ponit, rationem et voluntatem ad unum actum concurrere secundum naturalem aptitudinem."[1])

In tota hac quaestione mihi videtur inter doctores fuisse differentiam solummodo de modo loquendi, praesertim de usu termini habitus, quia S. Thomas loquebatur de habitu stricte dicto, prout est principium actus, quod informat et perficit potentiam cum quadam qualitate realiter potentiae superadditae[2]), sed Alexander Halensis et B. Albertus sumebant: habitualem potentiam, esse liberum arbitrium, sicut S. Bernardus in sensu largo „pro habitudine quadam."[3])

Ceterum S. Bonaventura habuit plenam rationem contra Alexandrum Halensem et B. Albertum Magnum affirmandi, quod liberum arbitrium, **non sit potentia realiter distincta a ratione et voluntate,** sed maximum quod admitti possit **secundum rationem.** Ratio est, quia:

„1. **Potentiae animae rationalis** sufficienter dividuntur per **cognitivas et affectivas:** ergo si ratio comprehendit virtutes cognitivas, et voluntas affectivas, **non videtur,** quod sit conveniens ponere **tertiam** potentiam ab eis differentem."[4])

„2. **Actus** liberi arbitrii est **iudicare;** sed de omni eo quod iudicamus, per rationem iudicamus: ergo **non videtur,** quod liberum arbitrium sit potentia a ratione et voluntate **distincta.**"[5])

„3. Omni alia potentia circumscripta, remanente sola voluntate et ratione, possumus **consentire,** quia potest **praecedere** deliberatio per actum rationis, sed **subsequi** praeoptatio per actum voluntatis: si ergo consentire est actus liberi arbitrii, videtur, quod liberum arbitrium **non sit alia** potentia a ratione et voluntate."[6])

„4. Liberi arbitrii est **movere: aut ergo movet** voluntatem, **aut non. Si non:** ergo non videtur esse plene liberum. **Si movet** voluntatem; et est alia potentia: ergo voluntas movetur ab alia potentia. Si movetur ab alia potentia: ergo non est libera: ergo si voluntas in nobis **est maxime libera,** videtur, quod liberum arbitrium non sit alia potentia a ratione et voluntate."[7])

„5. **Eadem est potentia cognitiva, qua intelligo aliquid et intelligo,** me intelligere: ergo eadem virtus est, **et non alia, qua volo aliquid et**

---

[1]) II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 5. in corp.

[2]) S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1. in corp.: „Habitus secundum proprietatem sui nominis significat qualitatem quandam, quae est principium actus informantem, et perficientem potentiam: unde oportet, si proprie accipiatur, quod sit superveniens potentiae, sicut perfectio perfectibili."

[3]) S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1. ad 1.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. fund. 1.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. fund. 2.; Bernard. de Lib. Arb. c. 4. n. 11.: „Arbitrium quippe iudicium est. Sicut vero iudicii est discernere, quid liceat, vel quid non liceat, sic profecto consilii probare, quid expediat, etc. [Migne, P. L. T. 182, col. 1007.)

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. fund. 3.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. fund 4.; August., III. de Lib. Arb. c. 3. n. 7.

volo, me velle illud; sed potentia, qua volo me velle, est liberum arbitrium, potentia, qua volo, est voluntas: ergo liberum arbitrium non est alia potentia a voluntate."[1])

Simili modo dici potest: ipse Doctor recte arguere contra Damascenum [II. de Fide Orthod. c. 22.] qui docere videtur, quod **liberum arbitrium sit totum universale, quod comprehendit partes**: hoc verum non esse, quia illo admisso, sequeretur quod „duo libera arbitria essent in quolibet homine" [II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4. in corp.], quod repugnat.

Articulus III. De liberi arbitrii activitate.

Liberum arbitrium, secundum S. Bonaventuram, quoad immunitatem a coactione in omnibus, in quibus reperitur, aequaliter se habet.[2]) Necessitas enim coactionis libertati arbitrii repugnat[3]), sed non necessitas immutabilitatis[4]). Liberum, in quantum est deficiens[5]), seu in quantum potest se vertere in malum, non est de perfectione libertatis, nec de eius essentia, sed magis suam imperfectionem demonstrat. Posse velle malum non est vera libertas, sed signum libertatis.[6]) Posse immutabiliter velle et facere bonum, hoc est maxima libertas: „Arbitrium dicitur liberum, non quia sic velit hoc, ut possit velle eius oppositum, sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, quia sic vult aliquid, ut velit, se velle illud; et ideo in actu volendi se ipsum movet et sibi dominatur, et pro tanto dicitur liberum, quamvis immutabiliter ordinetur ad illud."[7]) Exinde patet, quantum „dignitas enim liberi arbitrii increati superexcellit dignitatem omnis liberi arbitrii creati, quia illa est dignitas summa, et omnis dignitas creata est dignitas infra illam et propter illam."[8]) In creaturis autem relatis ad invicem aequalitas liberi arbitrii eiusdem est dignitatis, „pro eo quod omne liberum arbitrium immediate est sub Deo constitutum, et quodlibet est suarum operationum post Deum primum principium."[9]) Si vero comparenter creaturae in statu viae et patriae, tunc liberum arbitrium quoad servandae iustitiae facultatem inter illas differt. Beatorum

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 2. fund 5.

[2]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 1. in corp.: „Liberum [arbitrium] a **coactione**, pro eo quod est **ab omni coactione immune** in omnibus, in quibus est, **aequaliter se habet.**"

[3]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 2. in corp.: „Cum **duplex** enim sit **necessitas**, videlicet **coactionis** et **immutabilitatis, necessitas coactionis repugnat libertati** arbitrii, necessitas vero **immutabilitatis non.**"

[4]) II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 3. ad 1.: Necessitas **immutabilitatis ad bonum nullo modo repugnat libero arbitrio.**"

[5]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 3. in corp.: „Liberum arbitrium, in quantum . . . **liberum,** potest et exit in actum deliberativum; quia **deficiens, exit in actum deformatum.**"

[6]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 3. in corp.: „Liberum arbitrium, secundum **quod liberum est, habet obiectum bonum** et **exit in bonum, non in malum.**"

[7]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 2. in corp.

[8]) II. Sens. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 3. in corp.

[9]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 1. in corp.

liberum arbitrium est confirmatum in bono et in servanda iustitia, viatorum quidem inconstans, vertibile sive in bonum sive in malum et vicissitudinibus multis obnoxium."[1])

Obiectum proinde liberi arbitrii secundum communem rationem sumptum „secundum quam reperitur in Creatore et in creatura; et sic obiectum eius est **bonum et aequum**, malum vero non est obiectum; nisi quis dicat, hoc esse obiectum, quia liberum arbitrium illud respuit et detestatur."[2]) Si autem liberum arbitrium, prout apud creaturas in statu viae reperitur, speciatim consideretur, hoc modo dupliciter de ipso loquendum est, scilicet: „Aut in quantum liberum, aut in quantum deficiens [est] . . . **Liberum arbitrium**, secundum quod **liberum** est, **habet obiectum bonum et exit in bonum**, non in malum . . . Nihilominus tamen, in quantum cum libertate habet **defectibilitatem**, potest in malum, ita quod **malitia** non est obiectum liberi arbitrii nec a libero arbitrio, secundum quod **liberum** [est], sed secundum quod **deficiens**."[3])

His stabilitis, S. Bonaventura ait, quod **actus** liberi arbitrii, ut **deliberantis**, utrum hoc fiat, vel non fiat, „quamvis possit esse circa necessarium, semper est **contingens**"[4]), quia „actus eius, de quo deliberat, est **contingens; nullus enim deliberat de necessario et impossibili**; actus tamen ille potest esse circa necessarium, vel circa contingens. In libero enim arbitrio est considerare actum volendi et ipsum volitum. Et in quantum liberum arbitrium est deliberans, necesse est, quod contingens sit circa utrumque istorum, vel circa alterum: circa utrumque, ut cum quis deliberat, utrum velit intrare religionem, vel diligere inimicum; circa alterum, ut cum quis deliberat, utrum debeat sibi placere, vel displicere malum, quod fecit."[5])

Ex his sequitur, quoniam ipsa experientia hoc plane docet et manifestat, quod liberum arbitrium a nemine intrinsece **cogi** potest, **salva natura et proprietate libertatis**. Et S. Bonaventura hoc sequenti ratione probat: „Tunc autem voluntas dicitur **cogi**, quando intelligitur, **ipsam invitam aliquid velle, et repugnante actu voluntatis deliberativae, aliena virtute movente, et repugnantia manente, ad aliquid volendo inclinari**; et hoc duo opposita implicat."[6]) Nam „ex hoc enim, quod **liberum arbitrium liberum** est, si **aliquid vult, libere vult**; et ex hoc, quod **voluntarium** est, **si aliquid vult, voluntarie vult**, et **se ipso movente vult**. Ex hoc autem, quod **cogitur**, si **aliquid vult, serviliter vult**; et si quid **vult, invite vult**; et si quid

---

[1]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 1. i. corp.: „Quantum ad facultatem aut ad servandae iustitiae potestatem; sic inaequalitas reperitur non solum in creaturis et Creatore, sed etiam in creaturis comparatis ad invicem. Una enim creatura multum potentior est altera in rectitudine servanda, sicut beata, quam misera."

[2]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 3. in corp.

[3]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 3. in corp.

[4]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 2. in corp.

[5]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 2. in corp.

[6]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus, q. 5. in corp.

vult, ab alio vult, quia „violentum est, cuius principium est extra, nihil conferente vim passo“ [1]): **ergo liberum arbitrium cogi non est aliud, quam actum liberi arbitrii simul et semel esse liberum et servilem, esse voluntarium et non voluntarium, esse a se, et non a se“** [2]), quod **„non solum est impossibile, sed etiam non intelligibile, pro eo quod implicat in se duo contradictorie opposita.“** [3]) Si igitur impossibile est, **„non tantum concludit ipse auctor, est impossibile creaturae, verum etiam creatrici essentiae,** quia illud **posse** non est **posse.**[4])

His non obstantibus permittit tamen, quod „voluntas igitur **induci potest, ab agente creato; mutari** vero **ab alio non potest** nisi **ab agente increato“** [5]); **impediri** autem potest propter corporis ineptitudinem **„quantum ad suum usum, sicut impeditur in infantibus** et **furiosis et dormientibus“** [6]), **compelli** denique „quantum ad **actum exteriorem“** [7]).

Liberum arbitrium quoad **actum interiorem, „qui scilicet est velle vel eligere aut consentire“** [8]), etsi ab aliquo cogi non possit, tamen potest **induci: per oblationem alicuius rei amatae, vel efficaci persuasione.“** [9]) Talis inductio non est vera coactio, sed quaedam species coactionis in sensu largo sumpta. „Secundum veritatem, S. Bonaventura inquit, tamen ista inductio stat cum libertate voluntatis, nec ei repugnat in aliquo, sed potius repugnat plenitudini amoris et voluntatis. Non enim ita plene vult aliquis, quando vult ex conditione, sicut quando vult absolute, sicut patet de iactatione mercium in mare; nihilominus tamen salvatur ibi ratio libertatis et voluntatis.“ [10])

Insuper liberum arbitrium posse unice **mutari** a Deo, ipse Doctor his verbis explicat: **„Tunc autem voluntas mutatur, quando, ipsa volente unum, potenti virtute affectio immittitur ei ad contrarium, et de volente fit nolens, ita quod una affectio expellitur, et contraria inducitur; sicut patet, cum Deus de amatore temporalium facit temporalium contemptorem; et hoc dicitur esse quaedam compulsio** et **tractio,** dum voluntas ab ea re separatur; cui per amoris glutinum fortiter iungebatur.“ [11])

Potest etiam impediri quod suum actum et usum propter corporis ineptitudinem: „sicut impeditur in infantibus et furiosis et dormientibus“, [12]) vel propter gravem laesionem, qua

---

[1]) Aristot., III. Ethic. c. 1; cfr. etiam I. Magnor. Moral. c. 13. seqq. (c. 14. seqq.) et II. Moral. Eudem. c. 9. (c. 7. seq.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. II. Ethicon Nicomacheion G. 1. 1110.a 1 et 2.

[2]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 5. in corp.

[3]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 5. in corp.

[4]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 5. in corp.; cfr. et I. Sent. d. 42. q. 3.

[5]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 5. in corp.

[6]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 6. in corp.

[7]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 4. in corp.

[8]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 4. in corp.

[9]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 4. in corp.

[10]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 4. ad 6.

[11]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 5. in corp.

[12]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 6. in corp.

actus liberi arbitrii saepe privatur.[1]) „Et huius ratio est, ait, unio animae et corporis ad unius tertii constitutionem, quod est unum per essentiam, et cui debetur propria operatio, secundum quod est unum. Haec autem operatio non est vivere tantum nec sentire sive movere, sed ratiocinari et intelligere . . .

Sic enim esse animae in corpore aliquo modo pendet ex corpore, quamvis non pendeat esse ipsius animae in se — ideo ad hoc, quod anima sit in corpore, necesse est, corpus debite complexionatum esse; et ad illius complexionis corruptionem contingit, animam amplius non esse in corpore — sic, quamdiu anima est in corpore, intelligere suum non est sine corpore et sine aliqua dispositione ex parte corporis, cuius **actualitas** communicat actui intelligendi, sicut congrua dispositio correspondebat existentiae animae in corpore et perfectioni eiusdem. Illa autem **actualitas** attenditur secundum illud quod est supremum in corpore, et quantum ad nobilissimos spiritus, qui locum habent in nobilissimis organis corporis. Et quoniam, cum aliquid aufertur ab aliquo, prius aufertur ab eo illud quod est in eo excellentissimum; et cum aliqua virtus debilitatur, prius aufertur ab eo summum, quam illud quod est citra summum: hinc est, quod in laesione corporis citius tollitur illud, secundum quod corpus conformabatur operationi intellectivae, quam illud, secundum quod conformatur operationi sensitivae. Et ideo fumositates ascendentes ad cerebrum, quae perturbant spiritus in somnis vel in pueris vel in phreneticis, vel quaecumque alia laesio organorum, in quibus resident spiritus subtilissimi et nobilissimi corporales, facilius impedit usum rationis quam imaginationis."[2])

Potest denique **compelli** quoad actum exteriorem, cui nisi praestet consensum interiorem, non est actus voluntarius, neque liber, sed potius compulsio extrinseca. Hoc modo „potest enim quis compelli, ut genua coram idolo flectat et ut manibus propriis thura altaribus imponat vel incendat."[3])

Patet modo, quanam methodo S. Bonaventura procedit in expositione psychologica **activitatis** liberi arbitrii.

S. Doctor in primis ex diligenti observatione factorum [II. Sent. d. 25. p. 2.] statuit fundamentale principium, quod **liberum arbitrium a coactione: aequaliter se habet in omnibus, in quibus** [II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 1. in corp.] **reperitur quantum ad immunitatem a coactione**; tamen quod excellentiae **dignitatem** praestantius est, in Creatore quam in creatura. [Ibid.] Quantum vero **ad servandae iustitiae facultatem**: „Sic inaequalitas reperitur non solum in creaturis et Creatore, sed etiam in creaturis comparatis **ad invicem.** Una enim creatura multo

---

[1]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 4. in corp.: „Unde bene posset aliquis alium ita laedere, quod usum liberi arbitrii amitteret."

[2]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 6. in corp.

[3]) II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 4. in corp.; cfr. Alex. Halensis, S. Theol. P. IV. (Coloniae 1622.) q. 13. m. 2. ad 2.; Jeiler, S. Bonaventurae principia de concursu Dei generali ad actiones causarum secundarum, c. 2, p. 18—48. (Ad Claras Aquos 1887.)

potentior est altera in rectitudine servanda, sicut **beata** quam **misera.**" [Ibid.] Proinde libertati arbitrii repugnat **necessitas coactionis, non vero immutabilitas** [Ibid. q. 2.]. Posse velle malum non est de essentia et perfectione libertatis, sed de defectu eiusdem [Ibid. q. 3.]. Deus, Christus ut homo, angeli, animae beatae non possunt malum velle, nec peccare, tamen maxime liberi sunt [Ibid. q. 2.], quia „arbitrium dicitur **liberum**, non quia sic velit hoc, ut possit velle eius oppositum [scilicet malum], sed quia omne quod vult, appetit ad sui ipsius imperium, **quia sic vult aliquid, ut velit, se velle illud**; et ideo in actu volendi se ipsum movet et sibi dominatur, et pro tanto dicitur liberum, quamvis, **immutabiliter** ordinetur ad illud." [Ibid. q. 2.]

Obiectum autem liberi arbitrii: est **bonum et aequum.** [Ibid. q. 3.] Malum per se et directe nemo sibi vult, sed si liberum arbitrium vult illud, id vult sub ratione boni, attamen tale obiectum liberi arbitrii non est proprie secundum quod est liberum, sed secundum quod est **deficiens.** [Ibid. q. 3.]

Maxime **liber** est, qui numquam potest a regula rationis deviare [Ibid. q. 1.]; plus deficiens est et minus liber, qui a tali regula potest recedere, vel de facto recedit [Ibid. q. 3.].

Actus vero „liberi arbitrii **deliberantis,** quamvis possit esse **circa necessarium** [ut cum quis deliberat . . ., utrum debeat consentire, vel dissentire appetitui naturaliter inserto, utpote appetitui beatitudinis], **semper est contingens** [ut cum deliberat, utrum velit intrare religionem, vel diligere inimicum]." [Ibid. q. 2.]

De essentia liberi arbitrii est, quod a nemine **quoad interiorem actum suum cogi potest**; aliter liberum arbitrium non esset liberum [Ibid. q. 4.].[1])

Cum liberum arbitrium sit **soli Deo subiectum** [Ibid. q. 4.], salva libertate, a solo Deo **immutari** potest, qui potenti influxu immittit libero arbitrio virtutem illuminatricem et motricem, qua de volente fit nolens, vel vice versa secundum necessitatem vitae: „Sicut patet, cum

---

[1]) Hal. Alex., S. p. III. q. 61. m. 5. a. 3. ad 2: „Falsum est quod necessarium et liberum opponuntur. Si autem dicatur necessarium coactum vel prohibitum: sic verum est quod opponuntur. Primo modo est necessitas in Deo: et propter hoc non opponitur suae liberalitati: imo ex hoc est laus sua; quod ipsa est immutabilis, et immutabiliter libera."

P. Marcellino da Civezza, M. O., Della vera filosofia et delle dottrine filosofiche del seraph. dottor S. Bonaventura, Genova 1874. Cap. XIX. p. 627.:

„Certa cosa è, dice il Santo Dottore, d'essere in noi una potenza naturale e una potenza deliberativa. Ma è bisogna convenire che in sostanza non sono che una sola e medesima cosa, alla quale si danno diversi nomi, secondo che seque diverso modo nell' operare. Imperocché io sento che veramente medesima é la potenza, con la quale appetisco la felicità, e quella, onde aspiro alla virtù; nel primo caso potenza naturale, perché immutabilmente inchinata a ciò che l'appaghi e renda felice; nel secondo deliberativa, avvegnachè, seguendo il giudizio della ragione, ella possa fare una cosa piuttosto che un' altra secondo che più le aggradi, anche le più disparate e contrarie tra loro . . . .: sicchè pur essendo potenza naturale, non però cessa d' essere ragionevole e deliberativa, come avverrebbe se circa a' particolari fosse così determinata, da non poter scegliere tra gli opposti." S. Bonaventura II. Sent. d. 24. p. 1. a. 2. q. 3.

Deus de amatore temporalium facit temporalium contemptorem.“ [Ibid. q. 5.] Nihilominus liberum arbitrium **impediri** potest propter corporis ineptitudinem, laesionem gravem „quantum ad suum usum, sicut impeditur in infantibus et furiosis et dormientibus“ [Ibid. q. 6.]. **Compelli** autem potest ab agentibus creatis quaad actum exteriorem, sicut „idolatrae tentabant sanctos Martyres consentire in idololatria, modo promittendo delectabilia, modo infligendo tristia.“ [Ibid. q. 4.]

Caput II.

De libero arbitrio cum adiutorio gratiae.

Articulus I. De liberi arbitrii facultate absque gratia gratis data.

Quaeritur nunc utrum liberum arbitrium, omni auxilio gratiae destitutum, possit aliquod bonum facere, cum sola sua naturali facultate? S. Bonaventura, antequam de ista quaestione pertractare inceperat, praemisit verbi **posse** duplicem distinctionem. „Uno modo, inquit, dicitur aliquis aliquid posse, quia **per se** ipsum sine aliquo alieno suffragio potest illud, sicut aliquis potest comedere, cum est sanus et habet cibum. Alio modo dicitur aliquis aliquid posse, non solum quia potest illud per se et in se, sed quia potest **cum alio**, quod sibi praesto est; et hoc modo accipiendo posse, omne quod Deus praecipit, in nostra potestate est, quia ipse qui praecipit, praesto est praebere **gratiam adiuvantem**, per quam possumus perficere; primo modo accipiendo posse, non omne quod praecipit, est in nostra potestate.“[1]) Et rationem affert sequentem: „Etsi natura propter defectum sit vertibilis in non-esse, tamen totum, quod in ipsa est, naturaliter et determinate appetit esse. Et quia Deus conservat rem, secundum quod appetit; ideo sola divina praesentia per propriam naturam conservat creaturas. Liberum autem arbitrium **lapsum** indifferenter appetit licita et illicita, et prohibita et concessa, et cum magno impetu tendit ad malum; ideo ad hoc, quod stabiliatur, necessarium est ei aliquod gratiae donum.“[2])

Absque ulla haesitatione inde concludit: „Liberum arbitrium sola Dei cooperatione, absque aliquo munere gratiae, licet **difficiliter, potest exire** in **aliquod bonum morale.** Per illud tamen nec disponitur ad gratiam nec ad gloriam, quia non est in finem ultimum ordinatum, sed tantum ordinabile.“[3]) „Nam si liberum arbitrium, inquit, **in solis naturalibus suis** relinquatur, adhuc remanebit ei rationis iudicium, per quod cognoscet, parentes esse honorandos. Et constat,

[1]) II. Sent. d. 28. a. 2. dub. 3.
[2]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. ad 5.; cfr. Palhoriès, S. Bonaventure, p. 179—183.
[3]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

quod si habet hoc naturale iudicatorium, per illud per quod potest nosse, parentes esse honorandos, per illud potest cogitare; et cum habeat naturalem instinctum, potest etiam velle; et cum habeat exteriora organa sibi subservientia, potest opere implere. Sed prout illud facit iudicium rationis rectae absque munere gratiae, **non dirigit ad obtinendum finem,** qui Deus est, et mercedem aeternae beatitudinis, quam nosse non potest, nisi Deus revelet."[1]) Proinde: „Infideles habent opera virtutum politicarum; sed virtutes politicae[2]) non sunt habitus mali, sed boni, quia non sunt vitia, sed Dei dona: ergo videtur, quod opera illarum virtutum non sint peccatum."[3]) „Infideles non peccant in omni sua actione; nam quando eorum actio non repugnat fidei [conscientiae] nec bonis moribus, non est ratio aliqua, quare in ea debeat esse peccatum."[4]) Hoc enim modo intelligenda sunt verba Scripturae et auctoritates Sanctorum, praesertim S. Augustini.[5])

Verba Scripturae: „Joannis decimo quinto[6]): Sine me nihil potestis facere; et illud Isaiae vigesimo sexto[7]): Omnia opera nostra in nobis operatus es, Domine", intelligenda sunt de „gratuita Dei **influentia,** per quam cetera conservat et adiuvat, ut compleant operationes suas."[8]) Similiter locutio Matthaei: „Arbor mala non potest fructus bonos facere; intelligenda est per se, id est, si operetur voluntas mala, in quantum mala, scilicet mala intentione."[9])

Auctoritates Sanctorum, quas ad oppositum citat, ut secundae ad Corinthios: „Non quod simus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis"[10]); Isidori: „Sciant liberi arbitrii defensores, nihil posse in bonum sua praevalere virtute, nisi divinae gratiae sustententur iuvamine"[11]); Bernardi: „Sciant inimici gratiae, absque gratia nec ad cogitandum bonum sufficere cor humanum"[12]), etc. Hoc intelligendum esse, dicit: „De bono, secundum quod est ordinatum ad asseguendam

---

[1]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.:

[2]) III. Sent. d. 33. a. unicus. q. 5. in corp.: „Virtutes cardinales sunt virtutes politicae et radicaliter sunt a natura, sed completive sunt vel ab operum frequentia et perseverantia . . . A natura, inquam, sunt radicaliter, quia plantatam habemus in nostra naturam rectitudinem, per quam apti sumus, licet imperfecte, ad opera virtutis et honestatis; sed dum assuescimus, paulatim efficitur nobis facile quod prius erat difficile." Cfr. etiam de habitibus virtutum innatis, ubi demonstrat ex quibus fontibus istam doctrinam hausisse: III. Sent. d. 23. a. 2. q. 5. ad 6.

[3]) II. Sent. d. 41. a. 2. dub. 2.

[4]) II. Sent. d. 41. a. 2. dub. 2.; IV. Sent. d. 39. a. 1. q. 3. in corp. et ad 1.

[5]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. per totum; „Et hoc modo intelligenda sunt verba Dionysii et aliorum Sanctorum etc.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.; vers. 5.

[7]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.; vers. 12.

[8]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

[9]) „ „ II. Sent. d. 41. a. 2. dub. 2.

[10]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. ad oppositum 2; II. Cor. 3, 5.

[11]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. ad oppositum 4; Isidor, II. Sent. c. 5. n. 4.; Romae 1802. t. V., 196.

[12]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. ad oppositum 5; Bernard. In Cantic., homil. 32. n. 7. [Migne, P. L. T. 183. col. 949.]

beatitudinem"[1]); de bono, „quod ducit ad bonum perfectum, sive merito congrui sive merito condigni . . . Et in huiusmodi bonum non potest liberum arbitrium lapsum [seipsum ordinare] absque auxilio gratiae gratum facientis" . . . et „absque munere gratiae gratis datae, per quod illuminetur et dirigatur et excitetur, ut velit facere aliquid, quod sit Deo placitum."[2])

Praesertim S. Augustini docentis: „Omnis infidelium vita peccatum est, et nihil bonum est sine summobono; ubi deest agnitio aeternae veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus."[3]) „Quod: omnis vita infidelium est peccatum, respondet S. Bonaventura, hoc non dicitur propter hoc, quod **omnis actio**, quam faciunt in tota vita sua, **sit culpabilis** et demeritoria, sed hoc ideo dicitur, quia per nullam actionem, quam agunt, liberantur a culpa, quamdiu in infidelitate persistunt."[4]) Quod: nihil bonum est sine summo bono; „haec enim dicta sunt, ait, non quia Deus sit **tota causa**, sed quia sine ipso non potest agere aliqua virtus **creata**."[5]) „Similiter intelligenda est sequens auctoritas, et aliae consimiles, cum dicitur, quod: ubi deest agnitio veritatis, falsa est virtus; non quia illa virtus sit **vitium**, sed quia deficit a verae virtutis [supernaturalis] perfectione; quia virtus vera dicitur, quia veraciter perducit ad vitam."[6])

Ex his clarum est, quod S. Bonaventura docet: „Liberum arbitrium sola Dei cooperatione, absque aliquo munere gratiae, licet **difficiliter**, potest exire in aliquod bonum morale", quod „tamen nec disponitur ad gratiam nec ad gloriam, quia non est in finem ultimum ordinatum, sed tantum ordinabile."[7]) Genuinum insuper huius conclusionis sensum supra late exposuimus. Nunc autem, ad profundius facultatem liberi arbitrii, omni gratia destitutam, in ordine naturali contemplandam adhuc remanet ut de ea inquiramus, utrum possit cum Dei generali concursu alicui tentationi resistere; utrum possit inimicum vincere et omnia mandata divina adimplere?

S. Bonaventura resolvens primam ex tribus quaestionibus refert duas opiniones inter se oppositas, scilicet illam Pelagii: „Liberum arbitrium secundum statum, in quo nunc est, absque munere gratiae **o m n i** posse tentationi resistere propria virtute; quia si hoc non esset,

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

[2]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 41. a. 2. dub. 2. Verba Augustini, prout supra iacent, leguntur apud Magistrum II. Sent. d. 41. c. 1. et apud S. Prosperum, intimum amicum et adiutorem Augustini in magnis controversiis de gratia et libero arbitrio contra Pelagianos et Semipelagios resolvendis, Libr. Sent. n. 106. Secundum sententiam vero saepissime leguntur apud ipsum Augustinum, v. gr., IV. contra Julian. c. 3. n. 32; de Gestis Pelag. c. 14. n. 34; XIX. de Civ. Dei, c. 25; in Ps. 31. Enarrat. 2. n. 4; in Ps. 70. Serm. 2. n. 3; in Ps. 118. Serm. 7. n. 1. (Ed. Operum S. Prosperi, Bassani 1782; S. Aug. Migne P. L. T. 32—47].

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 41. a. 2. dub. 2.

[5]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

[6]) „ „ II. Sent. d. 41. a. 2. dub. 2.

[7]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

peccatum ei imputari non deberet"[1]); et illam S. Anselmi: „Quod liberum arbitrium lapsum, omni gratia destitutum, **nulli** posset tentationi resistere, pro eo quod lapsum est et in lapsu suo adeo est infirmatum et obliquatum, quod, nisi adsit divinae misericordiae donum, incurvatur ad omne malum, quod sibi suggeritur et offertur."[2])

Opinionem enim Pelagii sequenti modo reprobat: „**Haec positio plane falsa est** et **contra sacram Scripturam** et **contra Sanctorum testimonia.**"[3])

Primo: falsa est, quia: „hoc autem fuit quod decepit Pelagium, quod liberum arbitrium nunquam destituitur omni gratia gratis data; et ipse **posse** gratiae attribuit **ipsi naturae**. Superbia enim excaecatus, nescivit distinguere inter dona naturalia et gratuita."[4])

Secundo: contra sacram Scripturam est: Si enim nemo potest resistere tentationi de luxuria nisi per continentiam, nemo tentationi de infidelitate nisi per fidem; continentiam autem et fidem non contingit habere absque dono divinae gratiae, iuxta illud quod dicitur

---

[1]) Hic est textus S. Bonaventurae referentis opinionem Pelagii, qui legitur in II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.

Ipse Pelagius autem sic se de re exprimit: „Beatus quoque Jacobus [4, 7] . . . pollicetur: Subditi, inquit, estote Deo; resistite autem diabolo, et fugiet a vobis. Ostendit quomodo resistere debeamus diabolo, si utique simus subditi Deo, eiusque faciendo voluntatem, ut divinam mereamur gratiam, facilius nequam spiritui auxilio sancti Spiritus resistamus. Neque vero aperta contra nos pugnat acie, nec publica nobiscum fronte congreditur; sed dolo vincit ac fraude, nostraque contra nos utitur voluntate. De consensu nostro adversarius vires accipit, nostroque nos, ut dici solet, iugulat gladio. Infirmus hostis est, qui non potest vincere nisi volentem."

Migne, t. 33. P. L. col. 1099 seqq. Epist. 17. (142), Pelagii ad Demetriadem. c. 25.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28, a. 2, q. 2 in corp.; et ad oppositum 4 magis genuino modo refert opinionem eius dicendo: **„Liberum arbitrium in praeeligendo semper sequitur affectum praedominantem, et hoc expresse declarat** Anselmus in libro de Libero Arbitrio . . .; **sed absque gratia, saltem gratis** data [actuali], **libero arbitrio corrupto, regnat amor proprii boni:** ergo **videtur, quod semper illud praeeligat, quantum est de se, nisi gratia divina assistat."**

S. Anselmus scripsit dua opuscula similia, quorum unum inscribitur: **Dialogus de libero arbitrio,** alteri titulus est: **Tractatus de concordia praescientiae et praedestinationis nec non gratiae Dei cum libero arbitrio.** Sententia, de qua hic agitur, in utroque opusculo traditur. **In primo, c. 8** seq. dicitur, quod **voluntas non recedit a rectitudine, nisi ei aliquid ostendatur sive promittatur, aut minetur, „Quod magis quam ipsam rectitudinem vult",** per consequens in praeeligendo semper sequitur affectum praedominantem. In secundo vero q. 3. agens de concordia gratiae et liberi arbitrii, c. 11. seq. triplicem distinguit voluntatem: „Voluntas itaque dici videtur aequivoce tripliciter. Aliud enim est **instrumentum volendi** [potentia], aliud **affectio instrumenti,** aliud **usus eiusdem instrumenti . . .** Dicitur autem voluntas et instrumentum volendi et affectio eius et usus eius." Prima, ut auctor exponit, omnibus hominibus eadem est; secunda diversa in diversis, et secundum eam prout unusquisque afficitur, agit. Hoc enim sensu breviter sed succincte c. 13. totam cogitationem exprimit: **„Ancilla etiam facta est** [naturalis libertas arbitrii] **suae affectionis, quae ad commodum est; quia, remota iustitia, nihil potest velle, nisi quod illa vult."** [Ed. Operum S. Anselmi Venetiis ad signum spei 1549 fol. 67; 137b —144a; 141; 143b].

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.

Sapientiae octavo[1]): Non possum esse continens etc., et primae ad Corinthios duodecimo:[2]) Alii datur fides in eodem spiritu: planum est ex ipsa sacra Scriptura, quod liberum arbitrium absque munere gratiae non potest **omni** tentationi resistere."[3])

Tertio: contra Sanctorum testimonia est: „Hoc etiam, ait, multipliciter probat Augustinus in libro de Perfectione iustitiae hominis[4]), et de Natura et gratia[5]); et in libro de Vera Religione[6]) dicit expresse, quod qui non vult ab alio superari, necesse habet alii invidere; et ita vir superbus necesse habet peccare aliquando peccato invidiae; similiter et in aliis generibus peccatorum intelligendum est esse. Et propterea illa positio Pelagii tanquam erronea repudianda est."

Ad opinionem S. Anselmi respondet: „Valde durum videtur dicere, quod liberum arbitrium in statu tali nulli posset tentationi resistere, cum naturale habeat iudicatorium et quendam instinctum naturalem, remurmurantem contra malum, **non sit etiam in malo confirmatum.**"[7]) Ideo concludit: „**Est tertia via, medium tenens inter haec duo extrema, quod liberum arbitrium, omni gratia destitutum, nec omni posset tentationi resistere, nec necesse haberet omni tentationi succumbere.**[8]) Et adducit duo argumenta ex vita nostra, scilicet **instabilitatis** et **infirmitatis.**

In primo, hoc modo discurrit: „Non posset, inquam, omni [tentationi] resistere propter suam instabilitatem . . ., iuxta illua Threnorum primo[9]): Peccatum peccavit Jerusalem, propterea

---

[1]) Sap. 8, 21: Et ut scivi, quoniam aliter non possum [Rabanus et card. Hugo; Vulgata: possem] esse continens, nisi Deus det. Cfr. S. Bonaventurae, Comment. in Sapient. c. 8, 21.

[2]) 1. Cor. 12, 9.

[3]) S. Bonaventura. II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp. — S. Augustinus hoc opusculum scripsit contra Caelestium, socium ac defensorem Pelagii, in quo ostendit: perfectionem iustitiae consistere in eo statu hominis, in quo homo est prorsus sine peccato, atque istam habere non posse, dicit, solis viribus naturae, praesertim vitiatae, sine gratia; nec omnino in hac praesenti vita posse inveniri, concludit. Exinde in fine huius opusculi (c. 21. n. 44.) ait: „Dimitte nobis debita nostra (Matth. 6, 12), quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si nunquam vel in lapsu linguae, vel in oblectanda cogitatione eiusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus; sed tantummodo dicendum esset: Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos a malo. (Matth. 6, 13.)" [Migne, P. L. T. 44. col. 316.]

[5]) Eodem fere modo Augustinus refellit argumenta Pelagii in hoc libro, qui intitulatur: de Natura et gratia (c. 53. n. 61. seqq.) recolligens vim probationis oppositae ex verbis Pauli ad Gal. 5, 17: Caro concupiscit etc. [Migne, P. L. T. 44, col. 276—277.]

[6]) Locus ex libro de Vera Religione, qui ad rem a S. Bonaventura supra allatam pertineret, invenitur in eodem opere c. 45. n. 84., qui sic sonat: „Habet ergo et superbia quendam appetitum unitatis et omnipotentiae, sed in rerum temporalium principatu, quae omnia transeunt tanquam umbra . . . Quis autem dubitet, immane vitium esse invidentiam, qua necesse est ut torqueatur et subiiciatur qui non vult in rebus temporalibus vinci?" [Migne, P. L. T. 34. col. 160.]

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.

[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.

[9]) S. Bonaventura refert hoc argumentum in II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp. Thren. 1, 8.

instabilis facta est; et Glossa super illud Threnorum tertio[1]): Misericordiae Domini etc.: „Non potest homo diu stare contra insultus diaboli, nisi misericordia Domini adiuvetur.“ Unde si contingeret, hominem resistere uni tentationi, tantum possent multiplicari, quod, nisi divinum auxilium adesset, necesse haberet homo deiici . . . [Unde] nec unquam potest revitare homo, quin in aliquam tentationem incidat, et hoc propter suam instabilitatem.“[2])

In secundo vero paulisper aliter: „Propter suam etiam infirmitatem necesse haberet in aliquam tentationem incidere. Cum enim sit obtenebratus ignorantia et alligatus carnis concupiscentia, tentationes carnis et infidelitatis non posset evadere, quin eis aliquando consentiret, nisi adiuvaretur aliquo munere divinae gratiae.“[3])

Secundum S. Bonaventuram proinde: homo in naturalibus naturae lapsae constitutus potest cum concursu Dei generali aliquod bonum morale facere et saltem quibusdam tentationibus praesertin gravibus propter suam instabilitatem infirmitatemque succumbere. Quaeritur modo, utrum insuper ipse admittat, quod homo cum eadem generali Dei cooperatione possit vincere inimicum et omnia mandata divina adimplere?

Ad primam quaestionem S. Bonaventura notat: „Quod differt dicere, aliquem **resistere** adversario, et aliquem **vincere** adversarium. Plus enim importat **victoria** quam **resistentia.** Resistentia namque consistit in hoc, quod quis non consentiat suggestioni diabolicae; sed victoria consistit in assequendo oppositum eius quod diabolus intendebat. Intendebat autem diabolus hominem reddere inimicum Deo, et facere dignum aeterno supplicio. Tunc igitur homo vincit adversarium, quando sic resistit tentationi, ut efficiatur maior Dei amicus et mereatur regnum aeternum. — **Et quoniam hoc absque gratia gratum faciente esse non potest**[4]**, ideo concedendum est, quod etsi quis per gratiam gratis datam [actualem] possit diabolo resistere, ut ei non consentiat suggerenti; tamen absque dono, quod reddat hominem acceptum Deo, ipsum vincere non potest, ut contra eius intentionem proficiat dignitate meriti** vel in **merito condigni.**“[5])

Ad secundam vero dicit: „Quod mandata dupliciter contingit impleri: uno modo quantum ad **genus operis,** alio modo quantum **ad intentionis mandantis.** Si loquamur de impletione mandatorum quantum ad genus operis, sic per gratias gratis datas [actuales] contingit ea impleri, sicut per fidem mandatum de adoratione, et per quandam

---

[1]) Thren. 3, 22. — Glossa super hunc textum allata non habetur in Glossa ordinaria in hunc locum. Nihilominus quaedam vestigia huius modi textus leguntur apud Ambrosium, III. Expos. Evang. Luc. n. 37: „Habemus enim adversarium magnum, qui vinci a nobis sine Dei favore non possit;“ et apud Gregorium M., II. in I. Reg. n. 25, ubi docet, nos non posse stare neque hostem vincere absque auxilio Dei; idem VIII. Moral. c. 31. n. 51. et IX. c. 46. n. 71. [Migne, P. L. T. 15, col. 1687; T. 79, col. 88, 89; T. 75, col. 833—4; 898.]

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. q. 1. seq.; d. 27. a. 2. q. 3.; et d. 29. a. 1. q. 1. seq.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 1. q. 2. in corp.

naturalem pietatem et devotionem mandatum de parentum honoratione, et sic de aliis. — Alio modo est loqui de impletione mandatorum quantum ad intentionem mandantis; et sic — quia Deus praecipit mandata ad hoc, quod voluntas nostra conformetur voluntati suae, et hoc non potest esse absque caritate, et caritas esse non potest absque dono gratiae gratum facientis — mandata Dei secundum intentionem mandantis absque huiusmodi dono non possunt observari."[1]) Et hoc duobus argumentis probat. Primum enim ex sacra Scriptura deductum: „Et hoc est quod dicit Apostolus ad Romanos decimo tertio[2]): Qui diligit proximum legem implevit; et iterum[3]): Plenitudo legis est dilectio et primae ad Timotheum primo[4]): Finis praecepti est caritas de corde puro etc. Hoc ipsum etiam insinuatur Deuteronomii sexto[5]), ubi post enumerationem mandatorum decalogi subditur mandatum caritatis, quo dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo etc."[6]) Secundum autem est ad oppositum contra Pelagium: „Multipliciter igitur erravit Pelagius, qui dixit, liberi arbitrii donum posse habere, ut non indigeret gratia gratum faciente. Hac igitur positione tanquam haeretica repudiata, imploranda est gratia Dei, per quam deleantur peccata et impleantur divina mandata non solum secundum genus operis, sed etiam secundum intentionem mandantis, non solum ad vitationem poënae, verum etiam ad meritum gloriae. Nam etsi primus modus observandi potest esse per gratiam gratis datam [actualem], secundus modus non potest esse absque gratia gratum faciente, sicut prius ostensum est."[7])

In hoc articulo S. Bonaventura inquirit, quid possit liberum arbitrium in statu naturae lapsae absque auxilia gratiae gratis datae, cuius natura definita est in prima parte: articulo quinto et sexto, et cuius necessitas et valor in sequent articulo, et in illo de iustificatione, melius spatebit.

Antequam quaestionem directe tetigerit, ille duplicem distinctionem verbi „posse" praemittit, nempe: **posse per se et in se** „sicut aliquis potest comedere cum est sanus et habet cibum" [II. Sent. d. 8. a. 2. dub. 3.], et **posse cum alio,** sicut cum Deus aliquid praecipit, „semper praesto est praebere gratiam **adiuvantem,** per quam possumus perficere" [Ibid.], id quod prius praecepit.

Deinde repraesentat magnam **vertibilitatem** pronitatis liberi arbitrii, peccati originalis causa, ad malum, ad illicitum et prohibitum [II. Sent. d. 28. a. 1. q. 2. ad. 5.]. Nihilominus illud, inquit „sola Dei cooperatione, absque aliquo munere gratiae, licet difficiliter, potest exire **in aliquod bonum morale"**, quo „nec disponitur ad gratiam nec ad gloriam." [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3.], quia non est elevatum. Tamen

---

1) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. in corp.
2) Rom. 13, 8.
3) Rom. 13, 10.
4) 1. Tim. 1, 5.
5) Deut. 6, 5 seq.
6) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. in corp.
7) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3 in. corp.

eius limites non sunt ita largi, ut omni tentationi resistere possit: propter suam instabilitatem et infirmitatem. Ideo dicendum est: hominis liberum arbitrium, omni gratia destitutum, cum solo concursu Dei generali, nec omni posse tentationi resistere, nec necesse habere omni tentationi succumbere [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2.]. Qua conclusione, dicit, nos praecavere ab errore Pelagii docentis: „Liberum arbitrium secundum statum, in quo nunc est, absque munere gratiae omni posse tentationi resistere propria virtute“ [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2.; Pelagii Epist. ad Demetriadem, c. 25. (Migne, t. 33. P. L. col. 1099 seqq.)], et S. Anselmi e contra ad oppositam partem pergentis, quod nulli tentationi resistere possit absque influxu et auxilio saltem gratiae gratis datae (actualis). [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2. in corp. et ad opposit. 4.; Anselmus, Fract. de concordia praescientiae etc. q. 3. c. 13.]

Cum gratiâ gratis datâ (actuali), quae est supernaturalis quoad substantiam, quae pertinet ad idem genus ac gratia gratum faciens, licet ab ea essentialiter distinguatur ratione effectus, quem in nos producit, quoniam prima ad sanctificationem nos praeparando conducit, secunda vero realiter sanctificat, homo potest resistere omnibus tentationibus [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 2.] et totam legem naturalem observare ad genus operis [II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3.], sed non inimicum vincere ad meritum condigni [II. Sent. d. 28. a. 1. q. 2.], nec legem adimplere ad intentionem mandantis [II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3.], ratio est, quia victoria iam in vincente statuin gratiae gratum facientis praesuponit; et intentio mandantis dicit: legem adimpletam esse motu praevio gratiae gratum facientis et caritatis, quae ultimo fini nos iungit.

Sensus proinde totius quaestionis brevius recolligere potest:

1⁰ quod homo in statu naturae lapsae habet liberum arbitrium, per quod potest, licet difficiliter, ope concursus Dei generalis aliquod bonum morale facere, quod tamen non ordinat nec ad gratiam gratum facientem nec ad gloriam, sed ad finem hominis naturalem et honestum;

2⁰ quod idem liberum arbitrium cum concursu Dei generali potest singulis tentationibus resistere sed non omnibus; ut omnibus resistat, necesse est continuo apud se habere auxilium gratiae gratis datae, supernaturalis quoad substantiam, ope cuius de congruo meretur, ut Deus pro tali resistentia gratiam gratum facientem animae infundat;

3⁰ quod idem liberum arbitrium, auxilio gratiae gratis datae, supernaturalis quoad substantiam, potest, si solummodo a Deo continuo homini non habenti gratiam gratum facientem detur, totam legem naturalem adimplere quoad genus operis et gratiam gratum facientem de congruo mereri, tamen victoriam super inimicum celebrare et totam legem adimplere secundum intentionem mandantis, scilicet Verbi incarnati, reparatoris generis humani, non potest absque gratia gratum faciente et caritate.

Articulus II. De praeparatione liberi arbitrii ad gratiam.

Utrum liberum arbitrium omni dono gratiae gratis datae seu actualis destitutum, possit se ad gratiam gratum facientem de congruo disponere, si facit quod in se est? Ad hanc vero interrogationem

S. Bonaventura absque ulla tergiversatione ex professo respondet: **„Tenendum est igitur, quod liberum arbitrium, si excitetur per donum gratiae gratis datae [seu actualis], potest ad gratiam gratum facientem se de congruo disponere; si autem omni tali munere contingat ipsum destitui, nunquam posset ad illam disponi.“**[1]) Et rationem affert sequentem: „Gratiam primam non contingit mereri, tum quia est fundamentum omnis meriti et principium, tum etiam, quia est donum pure gratuitum“[2]), et „sine illa nihil acceptat Deus in operibus nostris.[3])“ Proinde, si homo **facit quod in se est**, „hoc potest **dupliciter** intelligi: uno modo **positive . . .**, alio modo **privative.**“[4]) Si facit quod in se est positive in ordine ad gratiam[5]), tunc **„liberum arbitrium nunquam assurgit nec ad cognoscendam gratiam nec ad petendam, nisi aliquo a sursum excitetur et per aliquod donum gratiae gratis datae, quod tenet quasi medium inter donum gratiae gratum facientis et naturalem libertatem voluntatis.“**[6]) Si vero facit quod in se est **privative**[7]), quod „non sit ordinatum ad gratiae susceptionem; et hoc modo liberum arbitrium, gratia destitutum, potest facere quod in se est“[8]), „licet difficiliter“[9]), tamen addit: **„nunquam sufficienter disponi nec posse se disponere ad gratiam gratum facientem.“**[10]) Et hanc conclusionem cum octo argumentis probat sequenti modo:

1. Ex sacra Scriptura:

„Timor servilis est illud, quo mediante declinatur a malo, sicut dicitur Proverbiorum decimo quinto[11]): In timore declinat omnis a malo; sed timere serviliter est donum Dei, et nullus potest se disponere ad gratiam, nisi declinet a malo: ergo nullus potest ad gratiam se disponere sine aliquo dono gratiae.“[12])

2. Ex Patribus:

a) „Augustinus in libro de Ecclesiasticis Dogmatibus[13]): Manet ad quaerendam salutem libertas arbitrii, sed admonente prius Deo et

---

[1]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.; cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 5. a. 1—4; q. 63 de Gratia gratis data.

[2]) II. Sent. d. 28. a. 2. dub 2.

[3]) II. Sent. d. 28. a. 2. dub. 2.

[4]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad. 4.

[5]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad. 4: „Facere quod in se est, hoc potest . . . intelligi . . . positive, quia facit aliquid ordinatum ad gratiam, et tantum facit, quantum potest“ . . .

[6]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.

[7]) II. Sent. d. 28. a. 2, q. 1. ad. 4.: „ . . . Privative, ut dicatur facere quod in se est, quia facit quod potest, quamvis illud non sit ordinatum ad gratiae susceptionem“ . . .

[8]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad. 4.; cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m 5. a. 3 et 4.

[9]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

[10]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.

[11]) Prov. 15, 27: „Per timorem autem Domini declinat omnis a malo“. — Quod timor servilis sit donum Dei, a S. Bonaventura ostenditur: III. Sent. d. 34. p. 2. a. 1. q. 1.

[12]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad fundam. 2.

[13]) August., de Eccles. Dogmat. c. 21. textus originalis sic sonat: „Manet ad quaerendam salutem libertas arbitrii, id est rationalis voluntas, sed admonente prius Deo et invitante ad salutem, ut vel eligat vel sequatur vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei“.

invitante ad salutem, ut vel eligat aut sequatur aut agat occasione salutis, hoc est inspirationis Dei: ergo videtur, quod nunquam liberum arbitrium nostrum potest se ad viam salutis praeparare, nisi adiuvetur per aliquam gratiam gratis datam."[1])

b) „Bernardus expresse dicit in libro de Libero Arbitrio, capitulodecimo tertio[2]): „Conatus liberi arbitrii ad bonum cassi sunt, si a gratia non adiuvantur, et nulli, si non excitantur." Et post dicit, quod „gratia excitat liberum arbitrium, dum seminat cogitatum."[3]) Si igitur prima dispositio, quae fit ad gratiam gratum facientem, est **cogitatio,** et haec non est absque dono gratiae gratis datae; impossibile est, quod liberum arbitrium, omni gratia destitutum, ad gratiam gratum facientem disponat se ipsum."[4])

3. Ex ratione theologica:

a) „Dispositio est eiusdem generis cum eo ad quod disponit[5]): ergo ad bonum gratuitum non potest quis se disponere nisi per aliquid gratis datum: ergo impossibile est, quod ad illud se disponat liberum arbitrium, omni gratia destitutum."[6])

b) „Dispositio praevenit illud ad quod disponit: si ergo liberum arbitrium posset se ad gratiam gratum facientem per se ipsum disponere, ergo posset gratiam praevenire: si igitur hoc est contra naturam gratiae **praevenientis,** videtur igitur quod liberum arbitrium gratiam non potest praevenire, nec se ad eam disponere, nec disponi, quippe sit perfectio supra eius naturam et exigentiam.[7])

4. Ad oppositum:

a) „Et sic patent quaesita. Patet etiam, qualiter erraverit Pelagius, qui liberum arbitrium non solum dixit habere potentiam disponendi se ad gratiam gratum facientem, sed etiam merendi eam propria virtute. Dupliciter enim m e n d a x fuit: et in hoc quod dixit, primam gratiam sub merito cadere, et in hoc quod dixit, etiam, liberum arbitrium propriis viribus ad gratiam posse se disponere."[8])

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad fundam. 1.

[2]) S. Bernardus, de Libero Arbitrio, c. 13. n. 42: „Cuius quippe conatus ad bonum et cassi sunt, si a gratia non adiuventur, et nulli, si non excitentur". [Migne, P. L. T. 182. 1024].

[3]) S. Bernardus, de Libero Arbitrio, c. 14. n. 47. [Migne, P. L. T. 182, col. 1026].

[4]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.

[5]) S. Bonaventura alludit hic ad Aristot., de Praedicam. c. d e Relatione, in quo inter relativa recensetur d i s p o s i t i o, quae a Boethio, II. Comment. super hunc locum, sic definitur: „Dispositio est ad aliquam rem mobilis applicatio, ut si quisquam flammae propinquus calcat, illi dispositus dicitur ad calorem i. e. habens aliquam applicationem coniunctionemque ad calorem". [Migne, P. L. T. 64. col. 218].

[6]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. fundam. 3.

[7]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. fundam. 4. In fine tamen paulisper argumentum incompletum reliquit, quia illud terminat: „videtur igitur etc".

[8]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 6. Quod revera P e l a g i u s haec docuerat, quae a S. Bonaventura reprobatur, cfr. ipsius Pelagii epistolam ad Demetriadem, unicum opus eius superstitum, c. 3.: „Volens namque Deus rationabilem creaturam voluntarii boni munere et liberi arbitrii potestate donare, utriusque partis possibilitatem homini inserendo, proprium eius fecit esse quod velit; ut boni ac mali capax, **n a t u r a l i t e r u t r u m q u e p o s s e t,** et ad alterutrum voluntatem deflecteret . . . Unde, quaeso, hominibus alienis a Deo ista, quae Deo placent? unde autem illis **bona, nisi de naturae bono?** etc. [Migne, Tomus 33. P. L. col. 1100 et 1101.]

b) „Et ex hoc patet, quantum Pelagius adversabatur divinae gratiae, qui dicebat, aliquem eam posse mereri. Auferebat enim ipsi gratiae suam dignitatem et excellentiam, dum eam meritis liberi arbitrii supponebat. Auferebat etiam suam efficaciam, dum potestatem merendi alii quam gratiae attribuebat.“[1])

c) „Et ex his manifeste convincitur error Pelagii et superbia: qua se contra divinam gratiam erigebat, et ingratus gratiae Dei, sibi quod erat gratiae usurpabat; et dum hoc agebat, se ipsum a munere divinae gratiae elongabat; et propterea error iste cavendus non modicum.“[2])

His probatis, insuper S. Bonaventura addit, quod si homo facit quod in se est in suis puris naturalibus, ad beatitudinem naturalem obtinendam, **indigere gratiis gratis datis a Deo**[3]); quia cum **sola Dei cooperatione, absque aliquo munere gratiae, potest solummodo exire in aliquod bonum morale**[4]), **et hoc etiam cum magna difficultate propter peccati originalis corruptionem.**[5]) **Ideo, si facit quod in se est in puris naturalibus, id est, si vult efficaciter omnia mandata divina adimplere quoad genus operis ad vitationem poenae, gratiis gratis datis indiget.**[6]) **Non solum hoc, sed etiam in iis, quae homo potest in puris naturalibus cum concursu Dei generali per naturale iudicatorium et instictum, licet difficiliter, operari, ut faciliter**

---

[1]) II. Sent. d. 28. a. 2. dub. 2. — Pelagius, quem S. Doctor flagellat, rem hoc modo refert, c. 4.: „Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quaedam, ut ita dixerim, sanctitas, quae velut in arce animi praesidens, exercet mali bonique iudicium; et ut honestis rectisque actibus favet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiae testimonium diversas partes domestica quadam lege diiudicat: nec ullo prorsus ingenio, aut fucato aliquo argumentorum colore decipit; ipsis nos cogitationibus, fidelissimis et integerrimis sane testibus, aut arguit, aut defendit“. [Migne, Ibid. ut l. c. col. 1101.]

[2]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

[3]) II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. in corp: „Si loquamur de impletione mandatorum quantum **ad genus operis, si per gratias gratis datas** contingit ea impleri“.

[4]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp: „Liberum arbitrium sola Dei cooperatione, absque aliquo munere gratiae, licet **difficiliter**, potest exire in aliquod bonum morale“.

[5]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp: „Et licet possit in aliquod bonum morale [exire], vix aut nunquam faceret nisi malum propter peccati originalis conuptionem“.

[6]) II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. ad 4 et 5 simul: Posset etiam facere et alia mandata, adiutus aliqua gratia gratis data, et non solum facere aliqua, quae videntur ardua, sed etiam pati terribilia, quantum **ad genus operis**, ut sic **vitet poenam“.** Quid autem intelligit sub expressione: **ad genus operis?** Ipse declarat: **„Bonum autem, secundum quod respicit materiam debitam, dicitur esse bonum in genere, pro eo quod, sicut genus dicit esse in potentia ad esse completum, quae completur per adventum differentiarum, sic in actu transeunte super materiam debitam quodam modo inchoatur bonum moris; illud autem bonum moris specificatur et completur per adventum circumstantiarum, unde potest fieri et bene et male.** II. Sent. d. 36. a. 3. dub. 5; Aristot. VII, Mataph. text. 43. (VI. c. 12.) Quidnam vero sub alia: „ut sic **vitet poenam“?** Si **tali modo et in talibus circumstantiis homo operatur quod in se est, non peccat, nec a Deo talis actionis causa puniendus erit, tamen nihil adipiscitur „ad meritum gloriae“.** II. Sent. d. 28. a. 1. q. 3. in corp.

et prompte **hoc fiat, inquit, necessariam ei esse gratiam gratis datam.**[1]) Ex his satis bene intelligitur, quare S. Bonaventura locutus est: „Sine hac quidem gratia gratis data vix aut nunquam aliquis habens usum liberi arbitrii reperitur."[2])

In hac ultima periodo S. Bonaventura hoc sibi vult, posito, quod **homo in statu naturae lapsae,** quem vocat ibi „**pura naturalia**", positive velit **naturalem beatitudinem** efficaciter assequi et **divina mandata** quod **genus operis,** id est **ad vitationem poenae,** tota adimplere, hoc nullo modo possit, propter peccati originalis corruptionem, absque **continuo influxu et auxilio gratiae gratis datae, supernaturalis quoad substantiam.** Nihilominus addit, sit tali modo operetur ad propriam naturalem beatitudinem assequendam, signum est certum, quod illam motu gratiae gratis datae, supernaturalis quoad substantiam, operatus sit, et quod **de congruo iam infusionem gratiae gratum facientis meruerit,** quam Deus ita disposito nemini denegat. Unde sicut in articulo praecedenti dictum est, quod homo, **licet difficiliter,** in aliquod bonum morale cum concursu Dei generali exire possit, quod ad gratiam et gloriam non disponit, hic addit, si eidem adsit gratia gratis data, supernaturalis quoad substantiam, **valde faciliter** in respectivum bonum morale exire posse et **seipsum disponere de congruo ad suscipiendam gratiam gratum facientem.** Sed cum Deus velit omnes homines salvos fieri, et cum de facto ad hoc omnes homines per Christum ad ordinem supernaturalem elevaverit, exinde respiciendo infinitam bonitatem divinam concludit: **„Sine hac quidem gratia gratis data vix aut nunquam aliquis habens usum liberi arbitrii reperitur."**[3])

Quantum autem ad **desiderium innatum veri atque summi boni,** quod Boëthius exprimit his vocabulis: „Est enim mentibus hominum veri boni naturaliter inserta capiditas"[4]), S. Bonaventura ait: **„Verum est in generali; ut autem cognoscatur in speciali, quid sit illud bonum, et desideretur et requiratur, hoc non est absque Dei dono. Illa autem generalis cupiditas non sufficit ad disponendum ad gratiam, sicut patet in philosophis, qui beatitudinem multum desideraverunt, nunquam tamen [tali naturali desiderio] gratiam Dei adepti sunt."**[5])

Item, simili modo ratiocinatur supra illud, quod dicitur: natura appetere suam perfectionem: „Verum est, respondet, de

[1]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.: „Ad istud autem genus boni complendum, etsi gratia gratis data sit necessaria ad hoc quod **fiat faciliter**; circumscripto tamen omni munere gratiae, et libero arbitrio relicto in puris naturalibus, per naturale iudicatorium et instinctum posset in tale bonum, Deo sibi cooperante, sicut cooperatur aliis creaturis".

[2]) II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.

[3]) II. Sent. d. 28. a. q. 1. in corp.

[4]) Boëthius, III. de Consol. prosa. 2. [Migne, P. L. T. 63. col. 723–726].

[5]) **S. Bonaventura, III. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 2; cfr. et infra, d. 38. a. 2. dub. 1.: „Cognitio beatitudinis duplex est, videlicet in universali et in particulari . . . In universali omnibus est innata; . . . in particulari . . . habetur a nobis per habitum fidei . . . et . . . exspectatur habenda per deiformitatem gloriae."**

perfectione illa, quae est **infra terminos naturae**; non autem oportet de illa, quae **supra naturam est.**“ [1]) Inde concludit: qualicumque anima humana conatu suo naturali appeteret et tenderet ad propriam perfectionem naturae, tamen nunquam „se disponit sufficienter ad donum gratiae“ [2]), per consequens nec ad perfectionem supernaturalem. Naturae enim humanae est: tendere ad propriam perfectionem ope divini concursus, sine quo nemo creaturarum potest agere [3]), tamen propter suam infirmitatem et liberi arbitrii agentis quod in se est vertibilitatem sive in bonum sive in malum [4]), saepe numero cadit et deficit a fine proposito, nunquam vero extinguitur [5]), vel totaliter corrumpitur, licet debilitetur et vulneretur [6]), unde quaeritur, utrum anima rationalis faciens contrarium suae naturae, quod ei nocivum est, et quod ea ut tale fugit, **possit propriis viribus hoc malum detestari?** S. Bonaventura consequens suis principiis respondet: „Dupliciter contingit detestari culpam: aut quia est **offensiva** maiestatis et oequitatis divinae, aut quia est **laesiva** propriae naturae.

Primus modus detestandi disponit ad gratiam gratum facientem, nec unquam est absque dono gratiae gratis datae in statu naturae lapsae. Cognoscere enim, quod per culpam offendatur Deus, donum Dei est.

Alio modo est detestari peccatum, in quantum laesivum naturae, sicut aliquis detestatur fornicationem, quia per ipsam amisit visum, vel incurrit alium morbum; et talis detestatio potest esse a virtute naturae; sed haec non disponit ad gratiam gratum facientem.“ [7])

Exinde iudicans **de operibus** in statu **peccati mortalis** factis, ait: „Peccator enim aliquando facit bonum opus in genere ad gloriam suam, ut cum dat eleemosynam propter gloriam; et ex hoc opere non meretur mercedem, sed poënam, quia procedit ex contumelia. **Aliquando facit ad Dei gloriam et propter amorem Dei, quem habet, et hoc non potest esse sine gratia gratis data, quae disponit de congruo ad gratiam gratum facientem.**“ [8]) Si homo igitur excitatus motu gratiae gratis datae facit quod in se est, et in statu gratiae gratum facientis non invenitur, nihilominus tamen operando ita cum recta intentione: „de congruo se disponit **ad obtinendum finem, qui est Deus, et mercedem aeternae beatitudinis.**“ [9])

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad. 3.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.: „Nam sine primo agente nullum agens potest agere.“

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 2. a. unicus. q. 3. in corp.: [Liberum arbitrium] nihilominus tamen, in quantum cum libertate habet defectibilitatem, potest in malum, ita quod malitia non est obiectum liberi arbitrii nec a libero arbitrio, secundum quod liberum, sed secundum quod deficiens.“

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 1. q. 1. ad 1.: „Per peccatum . . . homo exspoliatur gratuitis, . . . vulneratur in naturalibus.“

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 6; cfr. Boëthii, III. de Consol. prosa 11. [Migne, P. L. T. 63. col. 771—774].

[8]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 15. p. 1. a. unicus. q. 5. in corp.

[9]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.

His declaratis, clare concludit: **„Liberum arbitrium non se disponit ad gratiam gratum facientem sine aliquo gratis dato,“** [1] quo proprio nomine: **gratia adveniens** nuncupatur. Atqui talis **„actus formatur a gratia adveniente, ut quando liberum arbitrium in actu utrumque simul tempore format, scilicet potentiam et actum, prius tamen natura actum quam potentiam, sicut dispositionem intermediam.“** [2] Demum maturum ac serium profert sermonem de recte sentiendo supra **necessitatem** gratiae gratis datae, quippe sine eius adiutorio liberum arbitrium non potest se disponere neque praeparare ad recipiendam gratiam gratum facientem: **„Unde non est parvum donum gratiae cognoscere ipsum munus gratiae, et cognoscere, quod sine gratia homo salvari non potest ... Cavendum est [ergo], ne, cum hoc bonum propositum invisibiliter intra nos, aut nobiscum excitari sentimus, aut voluntati nostrae attribuamus, quae infirma est, aut Dei necessitati, quae nulla est, sed soli gratiae, qua quis plenus est. Haec liberum arbitrium excitat, cum seminat cogitatum; sanat,** cum immutat affectum; **roborat,** ut perducat ad actum; **servat,** ne sentiat defectum. Sic autem cum libero arbitrio operatur, ut illud **in primo praeveniat,** in **ceteris comitetur:** ad hoc itaque **praeveniens,** ut sibi deinceps **cooperetur;** ita tamen quod a gratia coeptum pariter ab utroque perficitur, ut **mixtim,** non singillatim, **simul,** non vicissim, per singulos profectus operentur; non partim gratia, nec partim liberum arbitrium, **sed totum singula opere individuo peragunt, totum quidem hoc et totum illa: sed ut totum huic vel in hoc, sic totum est ex illa.**

Patet nihilominus, quantum sit necessaria **gratia gratis data,** quia sine ea non potest liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem se disponere; non potest etiam omni tentationi resistere; non potest etiam in aliquod bonum quantumcumque modicum, quod sit **ordinatum ad salutem.** Et licet possit in aliquod bonum **morale** [exire],[3] quamvis **difficiliter,** tale bonum operatum cum cooperatione Dei generali, **in finem est tantum ordinabile,** hoc est **„habet aliquam ordinationem intra se, sive ex transitu super materiam debitam, sicut pascere esurientem, sive ex debita circumstantia superaddita, videlicet cum hoc facit, cum exigit tempus et locus et opportunitas.“** [4]

S. Bonaventura, postquam in praecedenti articulo determinaverit facultatem liberi arbitrii, quid cum solo concursu Dei generali posset in puris naturalibus naturae lapsae, in hoc articulo novam quaestionem instituit, ex professo probans, quomodo ipsum liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem se disponere possit.

---

[1] S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 3. ad 1. 2. 3. simul.

[2] S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 3. ad 1. 2. 3. simul.

[3] S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp, sed **totam materiam quai sumpsit ex S. Bernardo, de Libero Arbitrio, c. 14. n. 47: „Cavendum ergo, etc.“** Migne, P. L. T. 182. col. 1026—1030].

[4] S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.; cfr. etiam uberiorem explicationem eiusdem rei infra d. 36. a. 3. dub. 5.

In primis principium inconcussum statuit, quod liberum arbitrium absque gratia gratis data numquam ad gratiam gratum facientem de congruo se disponere possit [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1.], et quod talem primam gratiam, nemo mereri queat. [II. Sent. d. 28. a. 2. dub. 2.]

Omnis creatura rationalis proinde facere potest quod in se est dupliciter: **privative vel positive.** Si operatur **privative,** tunc ope concursus Dei generalis agit, nec talia opera ad gratiam gratum facientem disponunt. Si autem **positive,** tunc ope influxus gratiae gratis datae, supernaturalis quoad substantiam, agit, et meretur de congruo infusionem gratiae gratum facientis.

Quam conclusionem **octo** argumentis probat; et cum legenti sint per se clara, non est necessarium ea hic repetere. Solummodo cum circa finem aliquas importantes animadversiones de natura lapsa et gratia gratis data faciat, fas est, quantum possibile clarius breviusve, eas referre.

Primo dicit, quod homo **naturalem beatitudinem** sibi consonam assequi efficaciter nequeat, nec divina mandata ad vitationem poenae adimplere sine continuis influxibus gratiae gratis datae supernaturalis quoad substantiam; nihilominus ita operans meretur de congruo infusionem gratiae gratum facientis. Unde, quamvis homo cum concursu Dei generali in aliquod opus morale exire valeat, quod ad gratiam et gloriam non ordinatur, at ut **faciliter** hoc fiat, inquit, gratiâ gratis datâ indigere, qua positive ad suscipiendam gratiam gratum facientem disponitur. Sed cum Deus omnes homines velit salvos fieri, et cum de facto ad hoc omnes homines per Christum ad ordinem supernaturalem elevaverit, exinde respiciens divinam bonitatem, ait: **Sine hac quidem gratia gratis data vix aut numquam aliquis habens usum liberi arbitrii reperitur.**" [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1.]

Secundo, quantum ad **desiderium innatum** summi veri et boni **videndi,** respondet: **in generali** omnibus esse insertum, sed **non in speciali,** nisi per habitum fidei informis et impulsum gratiae gratis datae vel per habitum fidei formatae et motum gratiae gratum facientis [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 2; d. 38. a. 2. dub. 1.].

Tertio, quantum ad **appetitum perfectionis propriae,** observat, possibilem esse **infra limites naturae,** ope concursus Dei generalis, sed non illam quae sit supra naturam absque auxilio saltem gratiae gratis datae, supernaturalis quoad substantiam, qua appetens propriam perfectionem ad gratiam gratum facientem praeparatur [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 3.].

Quarto, ad quaestionem, utrum homo possit naturalibus viribus, ope concursus Dei generalis, **culpam detestari,** an non, sic iudicat: quod homo culpam detestari possit, ope concursus Dei generalis, prout est **laesiva** propriae ipsius naturae, sicut cum luxuriosus vidit putrefactionem membrorum sui corporis ob inordinatam vitam; sed non prout est **offensiva** Deo absque gratia gratis data, supernaturali quoad substantiam, quia cognoscere, „quod per culpam offendatur Deus, donum Dei est." [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. ad 6.]

Quinto, quod homo se inveniens in statu peccati mortalis, necessario non peccet in omnibus suis actionibus, immo si aliquando facit aliquod opus morale **ad Dei gloriam et propter amorem Dei**, signum est certum, quod hoc facit sub influxu gratiae gratis datae, supernaturalis quoad substantiam, et qua simul ad gratiam gratum facientem disponitur [II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3.]

In fine concludit, quod liberum arbitrium nunquam se disponit ad recipiendam gratiam gratum facientem absque praeveniente gratia gratis data, quae est supernaturalis quoad substantiam. Exinde clare videtur quanti sit momenti gratia gratis data ad id, ut liberum arbitrium ad gratiam gratum facientem disponatur [IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 3. ad 1—3 simul.].[1])

Articulus III. De infusione gratiae in animam.

Anima humana, cum sit per gratiam gratis datam iam in actu bene praeparata atque disposita ad recipiendam gratiam gratum facientem, quaeritur quomodo haec a Deo in animam infunditur utrum scilicet **immediate in essentiam** posthabitis eius potentiis, an vero **mediantibus illis?**

S. Bonaventura, prout in praecedenti articulo vidimus, ex professo de natura gratiae gratis datae in anima tractans sic se exprimit de eiusdem infusione: „**Actus formatur a gratia adveniente, ut quando liberum arbitrium in actu utrumque simul tempore format, scilicet potentiam et actum, prius tamen natura actum quam potentiam, sicut dispositionem intermediam.**“[2]) Nunc autem de infusione gratiae gratum facientis a Deo in animam agens, ante omnia clarissimo modo opinionem communem de hac re refert consistentem in his verbis: **Gratiam primo respicere animae substantiam, et virtutes primo respicere potentias, ut sic per gratiam in virtutibus fiat reformatio imaginis creatae, quae consistit in trinitate potentiarum et unitate substantiae.**“[3]) Nihilominus addit: „Haec autem positio duplíciter potest intelligi. **Uno modo, quod Deus prius influat gratiam in essentiam, et postmodum influentia illa ex substantia redundet in potentias . . . Alio modo . . ., quod gratia est una, sicut et substantia . . ., et primo dicitur respicere substantiam, non quia sit in illa absque potentia, vel per prius quam in potentia, sed quia habet esse in potentiis, ut continuantur ad unam essentiam.**“[4])

---

[1]) Cfr. Palhoriès, S. Bonaventure, p. 179: „. . . La grâce gratis data: dépourvu de cette grâce le libre arbitre se trouve dans l'impuissance de produire aucune bonne pensée dans l'ordre de la justification.“

[2]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 3. ad 1. 2. 3. simul.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. in corp.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. in corp.

Primam sententiam defendebant B. Albertus [1]) et S. Thomas[2]), secundam vero ipse S. Bonaventura[3]), quam his verbis declarat: „Potest intelligi praedicta positio per **appropriationem** quandam non quia Deus prius influat gratiam in substantiam quam in potentiam, sed quia, cum anima suscipiat **gratiam et virtutes** mediante potentia, et tam **gratia quam virtus** insit animae per potentiam, aliter tamen inest haec et illa. **Virtus** enim dicit perfectionem respectu operis, **gratia** vero dicit perfectionem respectu Dei acceptantis. Et quoniam respectu operum potentiae distinguuntur; hinc est, quod **virtutes** potentias respiciunt ut distinctas, et tunc sunt in actu, quando potentiae sunt in actu. Potentiae autem, in quantum comparantur ad Deum acceptantem, unica acceptatione acceptantur cum ipsa substantia, cuius sunt, et secundum unam naturam in eis repertam. Et hinc est, quod **gratia** [gratum faciens] est una, sicut et substantia, et est semper in actu continuo . . . **Virtus** vero [infusa] dicitur esse in potentiis, quia in eis est, ut referuntur ad operationes diversas.“ [4])

Gratiam gratum facientem esse continue in suo actu, duplici enim modo exponit: 1°, „Quamvis enim potentia in relatione ad opus non sit in suo actu continuo, et sic non habeat perfici **gratia**, sed **virtute**; in comparatione tamen ad substantiam, in qua est, est in suo actu continuo. Ita enim debetur quoddam **vivere** et quidam **actus continuus** ipsis potentiis, secundum quod continuantur ipsi substantiae, quemadmodum et ipsi substantiae; et ideo secundum hanc comparationem a gratia sunt perfectibiles. — 2°, Aliter etiam posset hic dici, ait ipse Doctor, quod **duplex** est **actus** ipsius formae: unus, qui

[1]) B. Albertus, II. Sent. d. 26. a. 3; S. p. 2. tr. 16. q. 98. m. 4.: **„Gratia universalis est habitus informans subiectum, id est essentiam animae et potentias eius ac opera.“**

[2]) S. Thomas, II. Sent. d. 26. a. 3: **„Quidam vero hoc accipiunt proprie dictum dicentes, quod proprium et primum subiectum gratiae est animae essentia, virtutis autem potentia:** et hoc rationabilius est,“ ait, quippe „et dictis Dionysii [de Hierar. coeles. c. 11.] consonat.“

Rationabilius est:

1°. **„Cum enim nullius operatio supra facultatem naturae operantis extendatur, oportet quod si operatio alicuius supra id quod naturaliter potest, extenditur, etiam natura quodammodo supra seipsam elevetur. Cum igitur actus meritorii facultatem humanae naturae excedant, non possunt isti actus ab homine procedere, quia in eos solis naturalibus homo non potest, nisi quodammodo natura humana etiam altius esset sublimata.“** (Ibid.)

Et dictis Dionysii consonat:

2°. **„Sicut in naturalibus rebus est quod illud quod non habet speciem per generationem adeptam, non potest habere operationes speciei debitas; ita ille qui non est adeptus divinum esse per spiritualem regenerationem, non potest participare divinas operationes. Oportet ergo quod primum donum, quod gratis homini infunditur, hunc habeat effectum ut ipsam essentiam animae in quoddam divinum esse elevet, ut idonea sit ad divinas operationes: et ideo quia unumquodque simpliciter dicitur quod per prius dicitur, sicut substantia ens; ideo tale donum quod essentiam animae nobilitat, principaliter gratia vocatur: tum etiam quia non determinatur, per aliquem specialem actum, unde speciale nomen sortiatur; et ideo proprie et per se gratia respicit essentiam animae sicut subiectum.“** (Ibid.) Vide etiam S. Thomae, **I. 2. q. 110. a. 4. et de Verit. q. 27. a. 6.**

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. in corp.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. in corp.

est a forma per modum **informantis**; et alter, qui est a forma per modum **efficientis**, sicut albedo subiectum suum dealbat et oculum disgregat.[1])

Quantum ad primum est omnis firma in **actu continuo**, quia ille est actus ut habitus; quantum vero ad secundum, **non, Sic et gratia, quamvis sit in suo actu continuo quantum ad illum actum, quem habet per modum informantis, non tamen est in actu continuo quantum ad illum, quem habet per modum praevenientis et subsequentis, sive cooperantis et operantis.**"[2])

S. Bonaventura enim hanc declarationem sequentibus nititur probare argumentis:

a) „Augustinus[3]) dicit, quod „gratia se habet ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum": ergo residet in anima ratione liberi arbitrii; sed liberum arbitrium nominat potentiam: ergo videtur, quod gratia per prius insit potentiae sen libero arbitrio quam substantiae."[4])

b) „Item Magister in littera[5]) adducit auctoritatem Augustini, in qua dividit gratiam in praevenientem et subsequentem, et utramque istarum definit per comparationem ad voluntatem: ergo videtur, quod primum et proprium subiectum gratiae est voluntas. Sed haec est potentia: ergo videtur, quod gratia per prius insit potentiae quam substantiae."[6])

Ad haec duo prima argumenta a S. Bonaventura ex auctoritate allata D. Thomas **in duobus locis expresse** respondet:

Primo: **„Inter potentias animae voluntas vel liberum arbitrium, maxime communis est, eo quod eius imperio actus aliarum potentiarum subiaceant, ut**

---

[1]) S. Bonaventura, (II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. ad 1.) hoc loco tacite alludi ad Aristotelem definientem (I. Topic. c. 13; III. c. 4. (c. 5.); Metaph. text. 23. (IX. c. 7.) quod color albus, propter suum effectum, nempe albedinem, dicitur: **„Disgregativus visum"**, et color niger propter nigredinem: **„Congregativus visum"**; Ed. Acad. R. Borussicae, vol. III. Topicorum III. 5. 65b. 31: „Albi definitio est color habens vim dispertiendi visum"; Metaphysicorum IX. 7. 518b. 7—11: „Ex genere namque et differentia species sunt: utputa si album et nigrum contraria sunt, est autem illud segregativus color; hoc vero congregativus, hae differentiae, congregativum et segregativum, priores; quare priora in invicem contraria sunt."

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. ad 1.

[3]) Cfr. Hypognosticon (inter opera August.), libr. III. c. 11: „Recte namque arbitror comparari liberum arbitrium iumento; unde et dictum est: Velut iumentum factus sum apud te" [Ps. 72, 23.]; gratiam vero sessori. Cfr. Sermonem Augustini 30. (alias de Verbis Apostoli, serm. 12.), c. 8. n. 10.: „Tollite iugum meum super vos [Matth. 11, 29]. Tulisti hoc iugum? Tulisti? Sentis te habere **sessorem?**"

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. fund. 1.

[5]) P. Lombardus, II. Sent. d. 26. c. 2: „Restat ergo, ut ideo ita recte dictum intelligatur, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam praevenit et praeparat adiuvandam et adiuvat praeparatam, nolentem praevenit ut velit, volentem subsequitur, ne frustra velit." Haec enim verba sunt Augustini, Enchirid. c. 32. n. 9. **Factum indubitabile et incontestabile est, quod Augustinus agens de gratia, eam semper comparat ad liberum arbitrium; vide opera eius, ut: de Gratia et libero arbitrio, c. 17. n. 33; de Perfectione iustitiae hominis, c. 19. n. 40; Epist. 186 ad Paulinum, c. 10. n. 36, I. Retract. c. 9. n. 4; Enchirid., c. 106. n. 28;** In Ps. 67, 33 enarrat. n. 41; **de Praedestinatione Sanctorum, c. 2. n. 5 [Migne, P. L. T. 44. col. 901; T. 44, col. 313—314; T. 33. col. 829—830; T. 32. col. 596—597; T. 40, col. 281; T. 36. col. 838—839; T. 44. col. 962].**

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. fund.

dictum est: et quia gratia non respicit aliquem determinatum actum, cum sit in essentia, quae ad nullam operationem determinatur; ideo gratia immediatus voluntatem, vel liberum arbitrium respirit, cum omnes actus gratia informati quodammodo sint voluntatis, et liberi arbitrii. Non tamen sequitur, quod sit in voluntate, vel libero arbitrio sicut in subiecto; sed ex gratia voluntas, et liberum arbitrium habet ut in actum meritorium educere possit.“ II. Sent. d. 26. q. 1. a. 3. ad 3.

Secundo: **Sicut ab essentia animae effluunt eius potentiae quae sunt operum principia; ita etiam ab ipsa gratia effluunt virtutes in potentias animae per quas potentiae moventur ad actus. Et secundum hoc gratia comparatur ad voluntatem ut movens ad motum, quae est comparatio sessoris ad equum, non autem sicut accidens ad subiectum.“** S. 1. 2. q. 110. a. 4. ad 1.

S. Bonaventura deinde prosequitur exponere argumenta ex ratione pro sua sententia iustificanda; D. Thomas autem eum in pluribus pedetentim subsequitur:

a) Primus enim Doctor hoc modo discurrit: „Sicut inter potentiam et actum cadit medius habitus, sic inter substantiam et habitum cadit media potentia. Cum igitur gratia sit in anima ut habitus et qualitas quaedam, videtur, quod ei insit mediante potentia: ergo per prius est in potentia quam in substantia“. II. Sent. d. 26. a. unicus q. 5. fund. 3.

Secundus vero sic eum arguit: „Quamvis gratia sit in essentia animae sicut in subiecto, non tamen sequitur quod intercidat media inter potentiam et essentiam, nisi esset eiusdem ordinis, scilicet ut sicut gratia esset ab essentia, ita potentia a gratia; per quem modum potentia cadit media inter essentiam et operationem. Sed hoc non est ita: quia potentia non est per gratiam, sed per naturam: unde obiectio non procedit. II. Sent. d. 26. q. 1. a. 3. ad 1.

b) „Opposita nata sunt fieri circa idem[1]); sed gratia ut gratia opponitur culpae in quantum culpa: si ergo culpa primo et proprie respicit arbitrii libertatem, pari ratione et gratia: ergo per prius erit in potentia quam in substantia.“ II. Sent. d. 26. a. unicus q. 5. fund. 4.

Culpa actualis non est per infusionem, vel immissionem; sed per aliquem determinatum actum nobis advenit: et quia omnis operatio respicit determinatam potentiam, quae est eius principium, inde est quod culpa per prius est in potentia quam in essentia animae. Gratia antem non acquiritur per actus nostros, sed a superiori infunditur: unde illud quod superius animae est, scilicet essentiam, quae est origo omnium potentiarum, per prius respicit. II. Sent. d. 26. q. 1. a. 3. ad 4.

c) **„Gratia, cum sit donum desursum descendens[2]), inest animae secundum suum supremum; sed supremum animae, sicut vult Augustinus[3]), est ipsa mens; mens autem non est ipsa substantia animae, sed potius potentia suprema: ergo videtur, quod gratia per prius sit in potentia.“** II. Sent. d. 26. a. unicus q. 5. fund. 5.

d) **„Gratia habet existere in anima secundum conversionem ipsius animae ad Deum, et amitti habet secundum aversionem. Si igitur illud, secundum quod**

---

[1]) In hoc primo verso S. Bonaventura alludit ad Aristot. de Praedicam. c. de Oppositis; Ed. Acad. R. Borussicae, vol. I. Kategor. 11, 14a. 15. et II. Topic. c. 3. (c. 7.). Ed. Acad. R. Borussicae, vol. I. Topik. B. 7. 112b et 113a, 27—15.

[2]) Hoc loco S. Bonaventura alludit ad epist. cath. b. Jac. 1, 17.

[3]) Sententia Augustini habetur VI. de Trinit. c. 9. n. 10.: „Si enim mentem recte dicimus principale hominis, id est tanquam caput humanae substantiae“. etc.; XIV. c. 8. n. 11: „quo etiam natura nostra nihil habet melius“. 1. de Lib. Arb., c. 10. n. 21; IX. de Civ. dei, c. 2.: „Mente humana solus Deus est maior“. In libro 83. Qq. q. 51. n. 4. legitur: „Quae [mens], nulla interposita substantia, ab ipsa veritate formatur“. De Trinit. l. XIV., c. 5. n. 8.: „Sed illa sola [creatura est imago Dei], qua superior ipse solus est. Ea quippe de illo prorsus exprimitur, inter quam et ipsum nulla interiecta natura est.“ Cfr. etiam de Vera Rel. c. 55. n. 113; de Gen. ad lit. [liber imperf.) c. 16. n. 60; Enarrat. in Ps. 118. Sermo 18. n. 4; de Spiritu et anima, c. 10.

anima prima avertitur et convertitur, hoc est potentia: videtur, quod gratia per prius sit in potentia quam in substantia.“ II. Sent. d. 26. a. unicus p. 5. fund. 6.

e) **„Gratia non est in anima secundum se ipsam, sed secundum influentiam ab aliquo principio, quod est omnino ab ea diversum. Cum igitur anima suscipit gratiam, aut habet aliquam potentiam ad suscipiendam gratiam, aut non. Si non habet potentiam ad hoc: ergo nunquam eam suscipiet. Si autem habet potentiam, mediante qua suscipit, aut illa erit ratio, aut voluntas, aut aliqua alia potentia ab his diversa; sed non est ponere potentiam aliam in anima praeter cognitivam et affectivam: ergo videtur, quod mediantibus illis gratia suscipiatur ab anima.“** II. Sent. d. 26. a. unicus q. 5. fund. 7.

f) Ultimo denique modos sic S. Bonaventura terminat suam argumentationem: „Si gratia inesset animae secundum substantiam cum possibile sit abstrahi; per intellectum substantiam a potentiis, possibile esset intelligere, animam esse gratam, suis potentiis abstractis; sed omnis anima grata, est disposita ad gloriam: ergo potest intelligi per consequens anima gloriosa, abstractis potentiis. Sed potentiis abstractis, anima nec videt nec amat Deum: ergo impossibile est animam gloriosam ponere, quae nec Deum videt nec Deum amat. Sed si hoc est impossibile: ergo et illud ex quo istud sequitur.“ II. Sent. d. 26. a. unicus q. 5. fund. 8.

S. Thomas autem ad illam respondet: „Cum potentiae animae sint naturales proprietates speciem consequentes, anima non potest sine his esse. Dato autem quod sine his esset, adhuc tamen anima diceretur secundum speciem suam intellectualis vel rationalis, non quia actu haberet has potentias, sed propter speciem talis essentiae, ex qua natae sunt huiusmodi potentiae effluere.“ S. 1. 2. q. 110. a. 4. ad 4.

Nunc quaeritur quare S. Bonaventura tot argumentis insistebat, quod gratia gratum faciens a Deo infunderetur in animam mediante libero arbitrio? Utrum ille sub aliquo aspectu sive directo sive indirecto praetendebat oppugnare S. Thomae sententiam? Denique quemnam finem in toto hoc processu argumentationis sibi praefixit? In praecedentibus articulis cum sermo erat, utrum liberum arbitrium consisteret in **habitu**, an in **potentia**, notari duplicem illis temporibus de eo viguisse sententiam, nempe Bernardi[1]), Halensis[2]) et Alberti Magni[3]) affirmantium consistere in habitu et S. Thomae[4]) defendentis persistere in potentia. S. Bonaventura praecipue innitens auctoritati Bernardi, conatus est utramque sententiam in concordiam adducere praemittendo triplicem sensum significationis vocis „habitus.“ Nec erat in sua intentione deceptus, quia definivit, quod sententia affirmantium essentiam liberi arbitrii consistere in habitu, non sit intelligenda de habitu stricte dicto, prout eum modo philosophico S. Thomas in corpore articuli sumpsit, sed senso largo „pro habitudine quadam“; cui ipse S. Thomas consentit, si ita summatur;“[5]) at prima

[1]) S. Bernardus, de Lib. Arb. c. 1. n. 2.: „Liberum arbitrium est **habitus** animi liber sui“.

[2]) Alex. Halensis, S. p. II. q. 72. m. 2. a. 1.: „Liberum arbitrium est **potentia habitualis**, pro libitu eligentis, et ex hoc, **quod habitualis est**, habet, quod facile exeat in actum“.

[3]) B. Albertus Magnus, S. p. II. tr. 14. q. 91. m. 1.: „Revera liberum arbitrium est potentia perfecta per habitum naturalem, et habitus ille libertas est“.

[4]) S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. a. 1. in corp.: **Undè non videtur habitum aliquem designare, si habitus proprie accipiatur [sermo est de libero arbitrio]; sed illam potentiam, cuius proprie actus est eligere, quia liberum arbitrium est quo eligitur bonum, vel malum“. Cfr. et de Verit. q. 24. a. 4.; S. 1. q. 83. a. 2.**

[5]) S. Thomas, II. Sent. d. 24. q. 1. ad. 1; S. 1. q. 83. a. 2. ad 2.: „Bernardus autem accipit habitum, non secundum quod dividitur contra potentiam, sed secundum quod **significat habitudinem quamdam“.**

sententia tenebat, praesertim Halensis, quippe liberum arbitrium expresse nuncupavit **„potentiam habitualem“** [1]): ergo eos inter se aliqua concordia composuit.[2]) Simili modo et in hac quaestione de infusione gratiae gratum facientis in animam conatus est facere. **Una ex parte auctoritate Augustini**[3]), **Anselmi**[4]), **Bernardi**[5]) **et Magistri sententiarum**[6]) **ductus, qui quasi semper et ubique comparant gratiam gratum facientem ad liberum arbitrium et ad operationem salutarem, altera ex parte acumine gravitateque argumentorum philosophicorum S. Thomae**[7]) **conpulsus, qui eamdem gratiam primo ad essentiam animae, quam ad liberum arbitrium ordinavit. Ne hiatus inter traditionalem modum exponendi et S. Thomam remaneret, in re consentit illi, quod propria sedes gratiae gratum facientis est in essentia animae, atque a Deo non immediate, sed mediante libero arbitrio infunditur. Et hoc sensu statnit conclusionem supra expositam: „Gratia . . . primo dicitur respicere substantiam, non quia sit in illa absque potentia, vel per prius quam in potentia, sed quia habet esse in potentiis, ut continuantur ad unam essentiam.“** [8])

Etsi S. Thomas, sicut supra vidimus, impugnet S. Bonaventuram, posterior tamen in aliis operibus ei nihil rursus contradicit, sed simpliciter agnoscit, quod: **„Hic modus intelligendi magis consonus est verbis Augustini, qui gratiam cooperantem et operantem describit per comparationem ad voluntatem. — Magis etiam est consonus rationi. Si enim, ait, intelligimus gratiam tanquam habitum quendam et influentiam, quae inest animae ad Deum conversae; cum**

[1]) Cfr. Halensem supra sub n. 2. in nota.

[2]) S. Bonaventura de hac concordia agit in II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 4 et q. 5. Cfr. supra nostrae dissertationis p. II. c. I. a. II. ubi ir professo de hac re tractavimus.

[3]) Augustinus, de Gratia et lib. arbitrio, c. 17. n. 33.: „Cooperando Deus in nobis perficit quod operando incipit, quia ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens“. Item similiter gratiam gratum facientem in aliis operibus quasi semper ad liberum arbitrium comparat. Vide: de Perfectione iustitiae hominis, c. 19. n. 40; Epist. 186. ad Paulinum, c. 3. n. 9 et 10; c. 10. n. 36; Enchirid. c. 32. n. 9; c. 106., n. 28; I. Retractat. c. 9. n. 4; Tract. 26. in Joan. n. 2; de Praedest. Sanctorum, c. 2. n. 5; de Spiritu et lit. c. 9. n. 5; c. 14. n. 26; In Ps. 67, 33 enarrat. n. 41. etc.

[4]) S. Anselmus., de Lib. Arb. c. 1 et 3; c. 13 et 14.

[5]) S. Bernardus, de Gratia et lib. arb., c. 1. n. 2: „Gratia opèranti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium, dum consentit, hoc est dum salvatur“, c. 3. n. 7; c. 4. n. 12; c. 6. n. n. 16—20; c. 8. n. 25; c. 10. n. n. 32—34; c. 11. n. 36 et 37; c. 13. n. 44 et 45; c. 14. n. n. 46—49.

[6]) Petr. Lombardus., II. Sent. d. 26. c. 1; c. 3., 4. et 7.: „Ante gratiam praevenientem et operantem, qua voluntas bona praeparatur in homine, praecedere quaedam bona ex dei gratia et libero arbitrio, quaedam etiam ex solo libero arbitrio, quibus tamen vitam non meretur nec gratiam, qua iustificatur“.

[7]) S. Thomas, II. Sent. d. 26. q. 1. a. 3.: **„Gratia dicitur esse vita animae. Sed vivere viventibus est esse, ut (in II. de Anima, text. 37.) Philosophus dicit; esse autem essentiam respicit. Ergo et gratia per prius essentiam quam potentiam respicit“.** S. 1. 2. q. 110. a. 4. in corp.: „. . . Gratia, sicut est prius virtute, ita habeat subiectum prius potentiis animae, ita scilicet quod sit in essentia animae“.

[8]) S. Bonaventura, II. Sent. 26. a. unicus. q. 5. in corp.

talis habilitatio et influentiae susceptio et conversio non potest intelligi nisi per potentiam, non videtur posse recte intelligi, quomodo gratia sit in anima, abstracta potentia.“ [1])

Proinde finis S. Bonaventurae in toto hoc processu argumentationis fuisse, prout nobis manifestatur, non novam sententiam formare, sed traditionalem cum illa S. Thomae coniungere. In re tamen inter utrumque Doctorem, nullam essentialem differentiam invenimus, quia tantum circa modum infusionis gratiae gratum facientis disconveniunt, non autem circa modum in anima eiusdem gratiae essendi. S. Thomas sicut in definitione liberi arbitrii, ita similiter et in hac quaestione subiisse videtur, maiorem influxum Aristotelis, quam S. Bonaventura. Nam primus exhibet definitionem liberi arbitrii ab Aristotele propositam: „Potentia rationalis ad opposita“ [2]), secundus vero illam Augustini, sed paululum ab ipso S. Bonaventura modificatam: „Liberum arbitrium . . . dicitur esse facultas rationis et voluntatis.“ [3]) Sed „potentia est interminata adhuc et incompleta“ [4]), facultas vero „non tantum nominat potentiam, immo facilitatem potentiae“ [5]), per consequens, cum a Deo in animam gratia gratum faciens infunditur, primus auctor habet plenam rationem **primo** comparandi gratiam ad aliquid universale, secundus vero ad aliquid universale magis determinatum in se. Unde iuxta principia posita legitime S. Thomas concludit. **„Gratia ad genus qualitatis reducitur, et ad primam speciem qualitatis; nec proprie tamen naturam habitus habet, cum non immediate ad actum ordinet; sed est velut habitudo quaedam, sicut sanitas se habet ad corpus . . . . Unde non computatur nec inter scientias, nec inter virtutes, nec inter alias**

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. in corp.

[2]) S. Thomas, de Verit. q. 24. a. 5.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3. in corp. In lit Magistri, II Sent. d. 24. c. 3. hoc modo ista definitio invenitur: „Liberum arbitrium est facultas rationis et voluntatis, qua bonum eligitur, gratia assistente, vel malum, eadem desistente“. Extra dubium tamen est, quod Magister eam delibavit ex Hugone, Sent tr. 3. c. 8 et Hugo ex Augustino, I. de Lib. Arb. c. 7. n. n. 16—18) Migne, P. L. t. 44. col. 891 et 892); VI. contra Pelag. c. 7. n. 20. (Migne, P. L. t. 44. col. 834.) videtur.

[4]) B. Albert., in V. Metaph. tr. 2. c. 12: „Differt potestas a potentia in hoc: potestas (seu facultas) est potentia stans sub complemento actualis habitus, et ideo activa est potestas; potentia autem est interminata adhuc et incompleta, et ideo proprie materialis potentia potentia vocatur“. Cfr. et S. Bonav. II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicum. q. 4. in corp.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3. corp. — Cfr. et Ciceronis, I. Rhetor. c. 26: „Facultates sunt aut quibus facilius fit, aut sine quibus aliquid confici non potest“. Halensis eodem modo videt hanc difficultatem de variis nominationibus liberi arbitrii ac ego, cum dicit: **„Quod liberum arbitrium nominatur tribus nominibus a sanctis.** Dicendum, **quod hoc est secundum diversos eius respectus; Potestas** enim dicitur **respectu actus et finis:** est enim **potentia ordinata** in finem **mediante actu, Facultas** vero dicitur **respectu eius,** per quod **illud redditur facile:** ratio vel voluntas facilis dicitur, secundum facultatem liberi arbitrii: **unde facultas dicitur respectu rationis et voluntatis.** Consensus autem dicitur respectu **moventis:** aut enim movetur a Deo ad bonum: aut ab adversario, sc. diabolo. Ex hoc ergo quod huic, vel huic consentit; **consensus** dicitur“. [S. p. II. q. 72. m. 2. a 1. § 1. ad 3.]

qualitates.“[1]) Nec minus stricte etiam S. Bonaventura: **„Et ideo gratia inest animae primo secundum libertatem arbitrii; et huius signum est, quia ad eas solas potentias se extendit [gratia], ad quas se extendit arbitrii libertas.“**[2]) Ex his provenit, quod apud S. Thomam conceptus gratiae gratum facientis in anima magis est **staticus**; dum e contra apud S. Bonaventuram plus **dynamicus** apparet; vel clarius, sub aliis terminis loquendo, S. Thomas magis respicit gratiam **in ordine perfectionis**, quatenus realiter **naturam humanam perficit**, S. Bonaventura vero plus eam inspicit **in ordine ortus** a Deo in animam.

Postremum in tota hac quaestione de infusione gratiae gratum facientis a Deo in animam, S. Bonaventuram, possumus dicere, sequenti modo pergere.

In primis ponit communem opinionem: „Gratiam [gratum facientem] primo respicere animae substantiam, et virtutes [infusae] primo respicere potentias, ut sic per gratiam in virtutibus fiat reformatio imaginis creatae, quae consistit in trinitate potentiarum et unitate substantiae.“ [II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5.], de qua non controvertitur.

Secundo, clare determinat de quanam re controversiam incipere, nempe, utrum Deus prius influat gratiam in essentiam, ut postmodum influentia illa ex substantia redundet in potentias, praesertim in liberum arbitrium, an potius Deus eam primo in liberum arbitrium infundat, ut mediante libero arbitrio continuet esse ad essentiam animae?

Primam opinionem praeter B. Albertum Magnum [II. Sent. d. 26. a. 3.; S. p. II. tr. 16. q. 98. m. 4.] defendit S. Thomas [II. Sent. d. 26. a. 3.; de Verit. q. 27. a. 6.; 1. 2^{ae}. q. 110. a. 4.], secundum vero S. Bonaventura [II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5.].

Quis eorum habeat rationem, valde est dificile discernere et decidere. Graves rationes pro una et altera parte militant. Ego diu operam dedi rei methodô comparativa, investigavi motiva et finem utriusque partis, et ad hanc opinionem perveni, quod S. Thomas partem aggredientem tenet, et S. Bonaventura defendentem. Finis utriusque est docere veritatem. Attamen, ut ex argumentis S. Bonaventurae animadverti, illum non voluisse novam opinionem instituere, sed aliquo modo progressui philosophico sui temporis et traditioni satisfacere. Cum antiqui, qui ex professo de gratia et libero arbitrio egerunt, semper ipsam gratiam compararent ad liberum arbitrium, et vix aut numquam, prout supra notavi locos, ad naturam, et cum apud S. Thomam invenisset eam comparari ad naturam, ne inter traditionalem doctrinam et novum progressum explicationis hiatus appareret, dixit, gratiam gratum facientem in animam a Deo infundi mediante libero arbitrio. — S. Thomas sicut in definitione liberi arbitrii, ita similiter

[1]) S. Thomas, II. Sent. d. 26. q. 1. a. 4. ad 1; cfr. etiam de Verit. q. 27. a. 2. et 6; S. 1. 2. q. 110. a. 3 et 4.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5. in corp.

in hac quaestione subiisse, videtur, maiorem influxum Aristotelis, quam S. Bonaventura. Nam primus sic illud definit: „Potentia rationalis ad opposita“ [de Verit. q. 24. a. 5.; Aristot.; IX. Metaph. text. 10. (c. 8.)], secundus vero: „Liberum arbitrium . . . dicitur facultas rationis et voluntatis“ [II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3.]. Sed „potentia est interminata adhuc et incompleta“ [B. Albert., in V. Metaph. tr. 2. c. 12], facultas quidem „non tantum nominat potentiam, immo facilitatem potentiae [S. Bonav. II. Sent. d. 25. p. 1. a. unicus. q. 3.]; per consequens, cum a Deo in animam gratia gratum faciens infunditur, primus auctor plenam rationem habet comparandi p r i m o gratiam gratum facientem a d a l i q u i d u n i v e r s a l e, secundus vero a d a l i q u i d u n i v e r s a l e magis d e t e r m i n a t u m. Juxta principia posita inde S. Thomas legitime concludit: „Gratia ad genus qualitatis reducitur, et ad primam speciem qualitatis“ [II. Sent. d. 26. q. 1. a. 4. ad. 1; cfr. de Verit. q. 27. a. 2. et a. 6; S. 1. 2ae. q. 110. a. 3. et a. 4.] naturae; nec minus stricte S. Bonaventura: „Et ideo gratia inest animae primo secundum libertatem arbitrii; et huius signum est, quia ad eas solas potentias se extendit [gratia], ad quas se extendit arbitrii libertas. [II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5.] Ex his sequitur, quod S. Thomas magis inspicit gratiam gratum facientem in ordine perfectionis, quatenus realiter naturam rationalem perficit, et S. Bonaventura in ordine emanationis a Deo in animam, quatenus per eam Deo assimilatur, ut infra in articulo de iustificatione melius patebit.

Articulus IV. De motu liberi arbitrii a gratia.

Deus, sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali, secundum placita S. Bonaventurae, est **primus motor „immobilis secundum eum modum, per quem movet respectu aliorum motorum sive virtutam moventium.“**[1] **„In aliquibus autem, inquit, sic operatur, ut ipse sit tota causa; in aliquibus sic operatur et movet, ut virtutem agendi et movendi communicet creaturae. Et prima quidem dicuntur** m i r a b i l i a, **secunda vero** n a t u r a l i a, vel v o l u n t a r i a **quantum ad egressum.**[2] „Si caelum immediate movetur a Deo, motus eius est mirabilis“[3] Si vero ceteras creaturas movet, movet eas modo eisdem congruo: „sicut f i n i s et d e s i d e r a t u m“[4], ita ut: **„motus ille sit natus convenire virtuti finitae propter sui successionem, et divina bonitas ad**

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. ad 3; cfr. Aristot., VIII. Phys. text. 35. (c. 5.). Ed. Acad. R. Borus. Physik. Th. 5, 256a.—258b.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. in corp. — **Hanc vero triplicem distinctionem ipse Doctor delibavit ex opere Anselmi, de Concept. virg. et orig. pecc., c. 11., ubi tres rerum cursus autumnans, scilicet mirabilem, naturalem et voluntarium, ait: „Ea quae nec natura creata, nec voluntas creaturae, sed solus Deus facit, semper miranda sint.“**

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. fund. 4.

[4]) S. [illegible] II. Sent. o. 14. p. 1. a. 3. q. 1. ad 1. Quod Deus moveat ut f i n i s et d e s i d e r a t u m, Aristoteles docet, XII. Metaph. text. 36. (XI. c. 7.); Ed. Arad. A. Borussicae, Metaphys. Δ. 7. 1072a—1073a.

sui manifestationem communicet creaturae quod ipsa nata est suscipere, quod Deus primum mobile movet mediante aliqua virtute creata, sicut et alia mobilia".[1]) Deus proinde movet primum mobile mediante aliqua virtute creata, quae in natura rerum concursus Dei generalis[2]) appellatur, in ordine autem supernaturali concursus Dei specialis[3]), seu gratia nuncupatur et cui immediate cooperatur.

Quare Deus omnia ita movet? **„Quia bonus est"**, inquit S. Doctor, et **„ratio causandi est bonitas et in ratione effectivi et in ratione finis".**[4])

In ratione effectivi: „Nam „bonum dicitur diffusivum"[5]), et bonum est propter quod omnia".[6]) Effectivum autem non fit efficiens in effectu nisi propter finem. **Illud ergo, quod dicit coniunctionem principii effectivi cum fine, est ratio causandi in effectu; sed voluntas est actus,** secundum quem bonum reflectitur supra bonum sive bonitatem: ergo voluntas unit effectivum cum fine. Et hinc est, quod voluntas est ratio causare faciens in effectu; et ideo attribuimus Deo rationem causalitatis sub ratione voluntatis".[7])

In ratione finis: „Et hoc colligitur ex verbis Dionysii in quarto de Divinis Nominibus, ubi dicit, quod „bonitatem ut continentiam [conservationem] et ut principium, et ut finem omnia appetunt: ut principium, a quo sunt; ut continentiam [conservationem], per quam salvantur; ut finem, in quem tendunt".[8]) Unde „divinus amor est quidam cyclus aeternus, ex optimo, per optimum et in optimum."[9]) Ex quo colligitur, quod dicit coniunctionem principii cum fine, et ideo causam actu, quando vult facere; ita quod actualitas

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. in corp.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.: **„Nam sine primo agente nullum agens potest agere".**

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. in corp.: „Necesse est ponere, **liberum arbitrium a gratia moveri et excitari. Ab ipsa enim gratia operante praevenitur, et a cooperante ad opera meritoria elevatur, ita quod respectu operis meritorii gratia est sicut principalis motrix, et voluntas sicut pedissequa".**

[4]) I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. in corp.

[5]) S. Bonaventura, (I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. corp.) hunc textum desumpsit ex libro de Caelest. Hierarch. c. 4. et ex libro de Div. Nom. c. 4. [t. I. Venetiis 1755].

[6]) Is vero textus contractus est ab eodem Doctore in loco iam supra citato ex his verbis, quae habentur in libro de Div. Nom. c. 4. § 31: „Principium et finis ert, bonum. Propter enim bonum omnia et quaecumque contraria. Etenim et haec agimui. bonum desiderantes; nemo enim malum respiciens facit quae facit". Cfr. etiam de his Aristot., V. Metaph. text. 3. et XII. text. 54. seqq. (IV. c. 2. et XI. c. 10); Ed. Acads R. Borussicae, vol. II. Metaphys. Δ, 10. 1075a, 18.

[7]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. n. 2. q. 1. in corp.

[8]) Locus allatus invenitur in libro de Div. Nom. c, 4. § 4.: **„Et omnia ipsam [bonitatem] ut principium, ut continentiam, ut finem appetunt, et optimum est, ut eloquia aiunt, ex quo omnia subsistunt et sunt tanquam ex causa perfectissima adducta et in quo omnia constituta sunt tanquam in omnipotenti consulto custodita et comprehensa, et in** quod omnia convertuntur sicut in propriam singula summitatem, et illud concupiscunt omnia". [t. I. Venetiis 1755 p. 358.]

[9]) Sequens textus habetur ibid. c. 4. § 14.; **„Divinus amor ostenditur differenter, sicut quidam aeternus cyclus, per optimum, ex optimo et in optimo et in optimum inenarrabili** conversione circuiens et in eodem et per id ipsum et proveniens semper et manens et revolutus". [t. I. Venetiis 1755 p. 365.]

in causando referatur ad voluntatem, non pro instanti, in quo habet voluntatem, sed in quo facere vult".[1])

Unde concludit quod **„proprietas voluntatis sit producere ea quae exeunt per modum liberalitatis, quod dicimus, Deum, in quantum voluntas est, esse causam rerum"**.[2]) Et haec sequentibus nititur probare argumentis.

1° Ex auctoritate.

a) „Per Augustinum tertio de Trinitate: „Voluntas Dei est prima et summa causa omnium specierum et motionum".[3])

2° Ex ratione.

a) „Quod obiicitur, utrum sit causa per proprietatem, aut per appropriationem; dico, quod simpliciter loquendo [Deus] **propriissime** est causa. Comparando vero voluntatem ad scientiam et potentiam dicitur causa **per appropriationem**; et hoc, quia ipsa voluntas significat Deum ut causam **actualem**. Unde in voluntate primo invenitur ratio **actualitatis**, non causalitatis. Potentia enim et scientia, etsi habeant rationem causae habitualis, non tamen actualis[4]) nisi per voluntatem. Unde voluntas facit de scientia dispositionem, sive facit scientiam esse disponentem, et potentiam exsequentem; ideo enim disponit, quia vult, et ideo facit, quia vult. Et sic patet illud".[5])

b) „Deus est causa rerum; sed omnis rei, cuius est Deus causa, est per scientiam, potentiam et voluntatem: aut ergo est causa, quia potens, aut quia sciens, aut quia volens. Non quia potens, quia multa potest, quae non facit; similiter nec quia sciens: ergo quia volens, ideo facit. Sed „causa est, cuius esse sequitur aliud[6]): ergo" Deus est causa rerum per voluntatem.[7])

c) „Item, Deus est causa rerum creaturarum: aut ergo per naturam, aut per voluntatem, aut per casum, et for-

---

[1]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. in corp.

[2]) S. Bonaventura. I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. in corp.

[3]) S. Bonaventura. I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. fund. 1. et II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1. in corp. Verba Augustini sic sonant in orginali, III. de Trinit. c. 4. n. 9: **„Voluntas Dei est prima et summa causa omnium corporalium specierum et motionum". — Ipse Doctor in I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. fund. 1 et. 2. ampliat eadem argumenta ex auctoritate: Hilarii (de Synodis, n. 58. XXIV): „Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei attulit, sed naturam Filio dedit ex impassibili ac non nata substantia perfecta nativitas"; nec non adhuc Augustini (I. de Gen. c. Manich. c. 2. n. 4.: „Respondendum est eis qui voluntatem Dei nosse desiderant, quod voluntas Dei omnium quae sunt, ipsa sit causa".**

[4]) S. Bonaventura in I. Sent. d. 35. a. unicus q. 2 ad 3. sic. se exprimit de ideis divinis: „De similitudine et idea intelligendum est, quod communis est quantum ad indifferentiam et amplitudinem propria vero quantum ad discretissimam expressionem".

[5]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. ad 2.

[6]) Textus ad lit. invenitur apud. Aristot., II. Phys. text. 28—38. (c. 3.); II. Metaph. text. 6. seq. (I. brevior c. 2.); Ed. Acad R. Borrusicae, vel. III. Metaph. I. I. Minor. 2. 487b. 11 et 12.

[7]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. fund. 3.

tunam.[1]) Non per casum et fortunam, quia tales sunt causae secundum imperfectam rationem; non per naturam, quia sic simile ex simili producitur: restat ergo, quod per voluntatem."[2])

d) „Quod obiicitur de scientia et potentia [Dei], dicendum, **quod ipsa voluntas se habet immediatius ad res**, et cum non sit determinata in futuris indifferentibus, ideo indiget certis signis.[3]) Et propterea, cum debeamus nos illi conformare, oportet nos ipsam cognoscere. Sed divina scientia est respectu omnium, similiter et potentia, et praeterea neutri oportet nos conformare; ideo non sic dicitur scientia signi vel potentia, sicut voluntas dicitur."[4])

Ex his enim omnibus nobis patet, quod ideo a S. Bonaventura docetur, quare potius voluntas divina, quam scientia et potentia, dici causa rerum virtutumque moventium, quia ista, ut ipse concludit, **„immediatius se habeat ad res."**[5])

„Divina autem voluntas, prosequitur idem Doctor, est causa prima et universalissima et actualissima; et ideo potest in totum effectum et in totam rei substantiam etiam sine adminiculo alterius causae; nec aliqua causa potest aliquid vel modicum sine ipsa. Et ideo necesse est, quod **ipsa sit causa immediata in omni actione et re."**[6])

Proinde „cum Deus sit omnium causa immediata, quorumdam tamen est **tota causa**, sicut eorum quae creantur; quorumdam autem est **causa cum alia causa particulari**, ut eorum quae sunt a natura et a voluntate particulari. Et haec quidem causa concurrit non propter indigentiam divinae voluntatis, sed propter suam liberalitatem, quae non tantum dedit rebus esse, sed operationem et diffusionem, et propter ordinem et connexionem universi ad invicem. **Nec una causa derogat alteri, sed totus effectus est a causa creata, et totus a voluntate increata."**[7]) Et haec ob eam causam dicit, quia **idem** effectus potest esse immediate ab increata causa et a creata, sed non

[1]) S. Bonaventura hoc argumentum contraxit ex variis libris Aristotelis, II. Phys. text. 49. (c. 5.): „Alia quidem secundum propositum fiunt, alia vero non . . . sunt autem propter hoc [finem] quaecumque ab intellectu utique aguntur et quaecumque a natura." In eodem II. l. Phys. text. 50. seqq. agit Aristoteles de casu et fortuna, quae sunt causae imperfectae sive per accidens, et in hoc inter se differunt, quod fortuna proprie locum habet in causis liberis, casus vero in naturalibus. De causis proprie dictis Aristot. tractat in VII. Metaph. text. 22. seqq. (VI. c. 7.), et XII. Metaph. text. 13. seqq. (XI. c. 3.)

[2]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1. fund. 4.

[3]) Hoc sibi vult S. Bonaventura hac expressione, ut notant editores ad Claras Aquas, t. 1. p. 809. not. 4.: „Cum voluntas quoad res, quae esse vel non esse, et quae sic vel aliter esse possunt, hoc vel illud determinare possit, [sermo est de mere possibilibus, quae Deus in se cognoscit, et quae nunquam in actum ad extra producturus est], ideoque per se a nobis certe cognosci nequeat, hinc ut cognoscamus, quid voluntas [divina] determinaverit, eam, certis signis manifestari necesse est."

[4]) Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 3. q. 1. ad. 1.

[5]) Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 3. q. 1. ad. 1.

[6]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. in corp.

[7]) , I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. in corp.

a duabus causis creatis: „quia duae causae creatae non sunt immediatae in eodem genere causae.“ [1])

Ad hanc rem intelligendam, ipse auctor ait: „Est notandum, quod cum in creaturis sit reperire causam universalem et particularem, causa universalis uno modo plus influit in effectum quam particularis, alio modo minus. Quantum enim ad intimitatem causa universalis, quia agens prior est, magis influit, sed quantum ad actualitatem et quantum ad ea quae sunt propria rei, minus influit. Et ratio huius est, quia causa universalis creata non habet omnimodam actualitatem nec perfectam potentiam; et ideo non potest pervenire ad formam specialem nisi per accidens, ut per formam agentis particularis, quae non est ab ipsa.“ [2])

Sed voluntas Dei, cum sit prima atque suprema causa omnium rerum ac motuum, plus influit [3]) **supra causatum suum, quam causa universalis particularisque secunda, quippe ut hae in essendo ac operando persistant, indigent voluntate divina, qua est causa immediata earum et quae a S. Bonaventura sequentibus verbis** definitur: **„Causa proxima et immediata ..... inter quam et effectum non cadit alia substantia media causans.“** [4]) Ne alicui hoc prima fronte durum esse appareret, statim addit: „Quod ipsa sic est **recta**, ut nullo modo possit obliquari; sic . . . **efficax**, ut nullo modo possit impediri; sic . . . **una**, ut tamen multiformiter habeat significari.“ [5]). „Voluntas enim, inquit, in nobis est per differentiam a substantia et actu et per distantiam a fine [6]); in Deo autem per omnimodam indifferentiam horum, scilicet substantiae, virtutis, actus et finis. Et quia in nobis est per differentiam a substantia et ab actu, ideo aliis praesidens et secundum diversos actus variabilis. Propter differentiam enim a substantia, in qua possunt et aliae potentiae radicari, praesidet aliis potentiis, ut sensui et appetitui. Propter differentiam ab actu est variabilitas secundum alterationem affectionum. In Deo autem neutrum; ideo nec regit inferiores potentias, nec habet variari secundum affectiones varias. Et ideo quia in nobis est per distantiam a fine, inde est quod est indigens, et ideo in ea est fuga et appetitus, et cadit in ea etiam tristitia, cadit et malitia, quia potest a fine obliquari,

[1]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. ad 1.

[2]) „ , I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. in corp. — Causa universalis est, quae varias effectuum species producit, v. gr. sol, cuius influxu, concurrentibus aliis causis particularibus, diversi producuntur effectus. Causa vero particularis est, quae unam tantum speciem effectus producit, v. gr. ignis ignem. Cfr. Aristot., II. Phys. text. 32. et 38. (c. 3.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. II. B. 3. 194b—195b. 16—30; et S. Bonav. I. Sent. d. 40. a. 4. dub. 7.

[3]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 27. p. 1. a. unicus. q. 2. in. corp.: „Causa prima plus influit et quae simpliciter prima, summe habet influere per omnem modum.“

[4]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 8. p. 1. a. 2. q. 1. ad 4. .

[5]) „ , Brevil. p. 1. c. 9.

[6]) De differentia voluntatis a substantia animae et ab actu volendi, vide S. Bonav. I. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 3, et d. 8. p. 2. q. 2; de distantia vero a fine. confer eiusdem auctoris I. Sent. d. 1. d. 3. q. 1. et 2.

cum non sit illi coniuncta. In Deo autem est omnino fini coniuncta, ideo nec fugam nec appetitum habet, nec tristitiam nec malitiam, sed omnimodam laetitiam et iustitiam." [1]) Proinde conditiones voluntatis creatae sunt: „Appetitus, fuga, malitia sive vertibilitas", quae „omnino a voluntate divina semotae sunt." [2])

Divina voluntas proinde significatur per voluntatem **signi** et **beneplaciti**.[3]) Et hanc distinctionem auctoritate et ratione probat.

a) Auctoritate: „Quia dicit Apostolus: Haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra[4]); sed illud non est dictum per essentiam, ergo vel per causam vel per significationem; non autem per causam, ergo per significationem."

b) Ratione: „Quia communi usu loquendi consuevimus praeceptum nostrum voluntatem appellare." [5])

Sed voluntas Dei innotescit nobis per volitum tanquam per visibile signum[6]) secundum quinque differentias, quae sunt praeceptio, prohibitio, consilium, impletio et permissio" [7]) Dum voluntate divina beneplaciti „disponuntur . . . quaecumque in universo fiunt. Et quia ista voluntas [beneplaciti], ratione regulata, dicitur **providentia**; hinc est, quod omnia, quae in universo fiunt, aguntur et reguntur divina providentia, quae per omnia est irreprehensibilis, quia nihil nisi iuste praecipit, prohibet, vel consulit; nihil agit nisi bene, nihil permittit iniuste." [8])

„Cum igitur voluntas de se dicat illud, secundum quod in agentibus a proposito[9]) attenditur regula rectitudinis et efficacia operationis; necesse est, inquit S. Bonaventura, quod voluntas in Deo **rectissima** et **efficacissima**: ideo rectissima, quia idem est in Deo voluntas et veritas; ideo efficacissima, quia idem prorsus in Deo est voluntas et virtus sive potestas. — Et quia non potest divina voluntas carere veritate, ideo non tantum est recta, verum etiam **regula rectitudinis**. Quia vero nullo modo potest carere virtute, ideo non tantum est efficax, verum etiam **fons et origo totius efficaciae; ita ut nihil sine illa possit effici, nihil contra illam possit fieri, nihil etiam sit, a quo valeat impediri.**" [10])

[1]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 1. q. 1. in corp.
[2]) „ , I. Sent. d. 45. a. 1. q. 1. ad 1. 2. 3. simul.
[3]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 3. q. 1. in corp.: „Ratio et auctoritas compellit nos distinguere voluntatem signi et voluntatem beneplaciti." — Item Brevil. p. 1. c. 9.
[4]) 1. Thess. 4, 3.
[5]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 45. a. 3. q. 1. in corp.
[6]) „ , I. Sent. d. 45. a. 3. q. 1. in corp.
[7]) „ , Brevil. p. 1. c. 9.
[8]) „ , Brevil. p. 1. c. 9.
[9]) Hoc loco S. Doctor alludit ad Aristot., III. Ethic. c. 2. et I. Magnor. Moral., c. 16. (c. 17.), ubi agitur **de prohaeresi**, quod verbum Graecum in antiquis versionibus Latinis modo redditur voce **electio** (sic. l. c. Ethic.), modo voce, **propositum** (sic. l. c. Magn. Moral.); in ed. recentiore Paris. (Firmin-Didot.) verbum „prohaeresis" constanter consilium, in illa vero academiae Borussicae, vol. III. Mag. Moral. I. 17. 593b. 13: electus vertitur.
[10]) S. Bonaventura, Brevil. p. 1. c. 9.

„Et quia rectissima est, nullus potest esse rectus, nisi conformetur ei;[1]) nullus autem potest ei conformari, nisi voluntas illa innotescat sibi: oportuit ergo, voluntatem divinam ut regulam rectitudinis notificari nobis. Rectitudo autem quaedam est necessitatis, et haec est in faciendo bonum necessarium et declinando malum;[2]) quaedam est perfectionis, et haec est in supererogando ultra debitum; et secundum hoc innotescit nobis **per triplex signum**, scilicet **praeceptionem, prohibitionem et consilium**; quod quidem significat divinum beneplacitum accepfare tamquam iustum; quod fit secundum divinum praeceptum, quod declinatur secundum divinam prohibitionem et adimpletur secundum divinum consilium. Signa vero hace infallibila: signa sunt divinae voluntatis, ut est regula rectitudinis.“ [3])

„Rursus, quia efficacissima est, nullo modo potest aliquis aliquid efficere, nisi ipsa operante et coëfficiente; nullus deficere vel peccare potest, nisi ipsa iuste deserente.[4]) Et secundum **hoc duo sunt eius signa, scilicet impletio, quod est signum voluntatis ut efficientis; et permissio, quod est signum voluntatis iuste deserentis.** Juste autem deserit, quia iustum, ut sic administret res, quas condidit, ut non infringat leges, quas indidit; et **sic cooperentur »rebus, quas creavit, ut eas agere proprios motus sinat«** [5]): et ideo, si liberum arbitrium ad utrumque vertibile de lege naturae in malum dimittat cadere, **hoc non permittit nisi iuste.“** [6])

Sed cur Deus permittit mala? S. Bonaventura respondet: **„Deus permittit mala fieri, et hoc ordinatissime.**

Duplex enim est ordo rerum: unus in universo, alter in finem;[7]) et uterque exigit, quod Deus permittat mala fieri.

Ordo quippe in universo exigit, quia ad perfectionem universitatis necesse fuit, fieri creaturam arbitrio liberam et peccare potentem; sed administratio universitatis est, ut »Deus sic res conditas

---

[1]) Haec uberius a S. Bonaventura explicatur in I. Sent. d. 48. a. 1. q. 1, ubi est sermo de conformitate nostrae voluntatis ad divinam: „Quod aliquid conformari alicui contingit dupliciter: aut quantum ad **similitudinem,** aut quantum ad **habitudinem**“ . . . Primo modo: „Aliqua creatura Deo conformatur . . . gratia, quae dicitur similitudo Dei, vel gloria, quae est deiformitas.“ (Ibid.) Secundo modo „per similem habitudinem ad actum, ut, sicut Deus quod vult, vult liberaliter et caritative, ita et homo; et per similem comparationem ad obiectum, ut quod vult Deus, velit homo; et eodem fine, quo vult Deus, velit homo. Hoc totum possibile est esse et totum possibile est non esse; et ideo possibile est, voluntatem nostram divinae conformari et difformari.“ (Ibid.)

[2]) Respicitur Ps. 36, 27.: „Declina a malo et fac bonum.“

[3]) S. Bonaventura, Brevil. p. 1. c. 9.

[4]) „ , II. Sent. d. 37. a. 2. q. 1. in corp.: **Quia nihil est attribuendum Deo, nisi quod decet suam potentiam, sapientiam et bonitatem: ideo actionem malam Deo tribuere non solum est falsitatis, sed etiam blasphemiae et impietatis.**“ Tamen in a. 1. q. 1. ait: **Omnis actio, sive substrata peccato sive non, secundum id quod est actio [physica], est a Deo.**“

[5]) Citat August.. VII. de Civ. Dei, c. 30: „Sic itaque administrat omnia, quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat.“ [Migne, T. 41. col. 220.]

[6]) S. Bonaventura, Brevil, p. 1. c. 9.

[7]) Cfr. etiam S. Bonaventurae, I. Sent. d. 44. a. 1. q. 3. in corp.

administret, ut eas agere proprios motus sinat«,[1]) sicut dicit Augustinus . . . Ideo cum debuerit dare potentiam peccandi et debuerit regere, salvo ordine suae conditionis; si voluit peccare, debuit permittere, et si noluit peccare, debuit conservare: et ita decet permittere mala.

Ordo ad finem hoc exigit, quia duplicem finem contingit reperire in universo: unus est **salus electorum**, alius **divina laus.** — Quoniam ergo permissio malorum reddit electos gloriosiores per occasionem, et Deus non curat, utrum per causam, vel per occasionem electorum gloria augeatur; ideo Deus permittit recte [mala][2]) — „Divina etiam laus hoc exigit, quia occasione mali summe manifestatur divina misericordia in electis, in Filii unigeniti donatione pro inimicis secundum tempus.[3]) Summe etiam manifestatur Dei iustitia in aeterna punitione reproborum.“ [4])

Deus **voluntate beneplaciti**, quae a S. Bonaventura: **antecedens** sive **conditionalis**[5]) adhuc appellatur, **„vult, omnes homines salvos fieri**, quantum in se est, . . . ita quod salus non deficit propter defectum a parte Dei“,[6]) sed creaturae, quam Deus permittit „ire secundum imperium suae voluntatis.“ [7])

S. Doctor proinde concludit: **„Nullus ergo potest conqueri de divina voluntate, quia omnia agit rectissime, immo in omnibus debemus gratias agere et honorificare regimen divinae providentiae,“ quia „cum . . . damnat et reprobrat, operatur secundum iustitiam; quando vero praedestinat, secundum gratiam et misericordiam, quae non excludit iustitiam.“** [8]) „Cum enim dicitur: Deus vult istum salvari, non est sensus, quod velit in omnem eventum [id est praescindendo ab omni conditione], sed quod vult istum salvari, et vult istum velle. Unde sicut divina voluntas connotat istum effectum evenire, et ideo necessario sequitur effectus ad ipsam, ita connotat causam creatam concurrere. Et ideo necessario sequitur, **si Deus vult istum salvari, quod iste etiam velit**; et ita numquam deficit, sicut nec effectus, et ita numquam impeditur.“ [9]) In hac quidem solutione clare a S. Bonaventura insinuatur, quod in **voluntate consequente** Dei non tantum effectus salutis connotetur, sed etiam efficientia cooperationis causae secundae, qualis in se sit, monstretur. Proinde ab eo videtur aperte excludi omnis umbra cuiuscumque speciei fatalismi [10]) et

[1]) August., VII. de Civ. Dei, c. 30.

[2]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 47. a. unicus. q. 3. in corp.

[3]) Respicitur illud Rom. 5, 6: „Ut quid enim Christus . . . secundum tempus pro impiis mortuus est?“

[4]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 47. a. unicus. q. 3. in corp.

[5]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 47. a. unicus. q. 1. in corp.: **„Voluntas beneplaciti duplex est, scilicet antecedens et consequens: antecedens sive conditionalis, qua vult quantum in se est, omnium salutem.“**

[6]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 47. a. unicus. q. 1. in corp.

[7]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 47. a. unicus, q. 3. ad 3.

[8]) S. Bonaventura, Brevil. p. 1. c. 9.

[9]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 47. a. unicus q. 1. ad 2.

[10]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 3. ad 1.: „Fatum secundum aestimationem Philosophorum . . . secundum quam cuncta necessario eveniunt in his inferioribus, **et sic fatum nihil est.**

occasionalismi.[1]) Miro modo componitur concorditer voluntas divina cum humana in ordine finis generis humani ad salutem. Nec nimis extollitur divina voluntas, nec humana nimis deprimitur, sed prout in se sunt, ex effectibus demonstrantur.[2]) Hoc enim sensu dicit ille: „Est **necessitas consequentis** et **necessitas consequentiae . . . Voluntas** Dei **absoluta, qua [Deus] determinate vult aliquid, quod novit certitudinaliter evenire, connotat eventum rei; et ideo est ibi necessitas consequentiae, sed non consequentis, quia non mutat eventum rei, immo vult Deus, quod eveniat consequens contingens. Unde sicut praescientia [divina], quia ipsa non habet necessitatem consequentis, sed consequentiae, quia necessario infert, et sequitur: Deus praescit hoc ergo hoc erit; sed tamen non necessario praescit, quia in actu praesciendi frequenter notatur effectus contingens, . . . quia necessario infert effectum, non potest falli, sic nec voluntas absoluta, quia necessario infert, non potest impediri, immo eam necessarium estimpleri. Voluntatem vero conditionatam non est necessarium omnino impleri, nec necessitate consequentis necessitate consequentiae, quia non connotat eventum rei, sed connotat illud quod est ordinabile ad eventum.**"[3])

Si Deus ergo vult voluntate sua antecedente omnium hominum salutem[4]), per se patet, quod omnibus sine ulla exceptione, dat „**gratis et misericorditer et quodam modo iuste, quantum est ex condecentia bonitatis suae**"[5]), media salutis, seu **gratiam,** qua eam assequi possunt. Unde claram conclusionem ponit: „**Absque dubio, sicut auctoritates Sanctornm dicunt, necesse est ponere, liberum arbitrium a gratia moveri et excitari. Ab ipsa enim gratia operante praevenitur et a cooperante ad opera meritoria elevatur, ita quod respectu operis meritorii gratia est sicut principalis motrix, et voluntas sicut pedissequa.**"[6])

„Gratia enim **operans,** inquit, liberum arbitrium praevenit et movet, quia Deus illam infundendo voluntatem hominis

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 5.: „**Deus est intime agens in omni actione, et intimus est ipsi potentiae operanti, ita quod potentia ipsa in nihil exit, quod non sit ab ipso.**"

[2]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 40. a. 3. q. 1. ad 2.: „**Dicendum, quod est voluntas [Dei] antecedens et consequens: antecedens, qua vult quantum in se est, consequens, qua vult cum praescientia nostrae salutis; et prima quidem est omnium, secunda vero non.**"

[3]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 47. a. unicus q. 1. in corp. In. d. 46. a. 1. q. 1. adhuc clarius se exprimit: „**Velle ergo hominem antecedenter salvare est ordinatum ad salutem facere et volenti pervenire non deesse. Unde velle antecedenter salvare non connotat salutem, sed ordinabilitatem ad salutem. Velle auten consequenter sive absolute salvare est velle dare salutem ei, quem praescit ad salutem perventurum per suum auxilium et gratiam, et connotat salutis eventum. Et sic non est dicere, quod Deus velit omnes homines salvos fieri.**"

[4]) Bonaventura, I. Sent. d. 46. a. unicus q. 1. in corp.: Cum Apostolus dicat, quod Deus hoc vult, scilicet «omnes homines salvos fieri» [1. Tim. 2, 1], quod necesse habemus concedere, quod Deus velit. Et cum non possit exponi **de voluntate signi,** necesse habemus exponere de voluntate **beneplaciti.**

[5]) S. Bonaventura, Brevil. p. 1. c. 9.

[6]) S. [illegible], II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. in corp.

sanat et praeparat, Gratia vero **cooperans** sive subsequens liberum arbitrium dicitur movere, quia voluntas tali dono gratiae informata, movet seipsam."[1]) Per se patet, quod hic a S. Bonaventura gratia **operans** sumitur pro gratia actuali, quae, sicut ipse prius dixerat, „tenet quasi medium inter donum gratiae gratum facientis [habitualis, vel prout illam supra meminit nomine cooperantis sive subsequentis] et naturalem libertatem voluntatis."[2]) De hac enim gratia dicit, quod liberum arbitrium movet: **„Sicut quaedam influentia procedens a luce superna, quae semper habet coniunctionem cum sua origine, sicut lumen cum sole; et quia semper suae origini coniungitur, ideo non tantum attribuitur et operatio ratione subiecti, in quo est, sed etiam ratione subiecti, a quo est. Unde sicut lumen non solum operatur cum aëre, sed etiam operatur in ipsum aërem ratione continuationis cum suo fonte; sic et gratia [operans] non solum operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum arbitrium et liberum arbitrium movet."**[3]) Exinde concludit: **„Non est aliud dicere gratiam** [operantum] **liberum arbitrium movere, quam** [talem] **gratiam esse Spiritus sancti instrumeutum ad movendum liberum arbitrium"**[4]), **quo „potest ad gratiam gratum facientem** [sive subsequentem vel cooperantem] se **de congruo disponere".**[5]) De secunda, scilicet de gratia habituali, quam paulo supra nominat gratiam cooperantem sive subsequentem vel in aliis locis gratiam gratum facientem[6]), ratione diversorum effectuum, quos producit in animam, his verbis se exprimit, quod movet liberum arbitrium: „Quoniam ipsa est [gratia habitualis] **dispositio** ad quemdam spiritualem motum. Sicut enim pondus in corporibus disponit ad motum, sic et suo modo pondus in spiritibus. Gratia [habitualis] autem est quoddam spirituale pondus, **datum animae,** per quod habet sursum tendere; et quoniam liberum arbitrium est natum se ipsum movere secundum actus, in quos potest de se; **cum est adiutum et informatum gratia [habituali], excellentius movet se ipsum, ita quod, cum liberum arbitrium sit movens et motum, gratia disponit ipsum sub ratione moventis."**[7])

Et haec sequentibus rationibus probat:

1⁰ duobus argumentis ex auctoritate:

d) „Primo per auctoritatem Augustini, quam Magister adducit in littera[8]), quod gratia praeveniens est, quae «praevenit bonae voluntatis

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. in corp.
[2]) S. „ , II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.
[3]) S. „ , II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. in corp.
[4]) S. „ , II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. in corp.
[5]) S. „ , II. Sent. d. 28. a. 2. q. 1. in corp.
[6]) S. „ , II. Sent. d. 26 et d. 27 passim; III. Sent. d. 36. a. unicus q. 1; Brevil. p. 5. c. 1 et 2;
[7]) S. „ . I. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. in corp.
[8]) S. „ alludit hoc loco ad Petri Lombardi II. Sent. d. 26. c. 2. circa finem: „Itaque bona voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem. Unde Augustinus... [Epist. 186 ad Paulinum, c. 3. n. 10, et in Glossa ad Rom. 5, 1.], inquit: . . . «Non gratiam Dei aliquid meriti praecedit humani, sed ipsa meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici, voluntate comitante, non ducente, pedissequa, non praevia.»"

meritum, et respectu cuius ipsa voluntas bona pedissequa est, non praevia»: ergo gratia respectu voluntatis se habet per modum excitantis, imperantis et regentis; et omne tale sè habet in ratione motoris: ergo gratia est motrix liberi arbitrii."[1])

b) „Item Augustinus[2]): „Gratia se habet ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum"; sed sessor est motor equi: ergo gratia est motrix liberi arbitrii".[3])

2⁰ tribus argumentis ex ratione:

a) „Plus est potentiam aliquam supra se e r i g e r e[4]) quam ipsam m o v e r e[5]); sed gratia [habitualis] elevat potentiam liberi arbitrii ad opera meritoria, quae sunt supra ipsam: ergo est liberi arbitrii motrix".[6])

b) „Item, plus potest gratia super liberum arbitrium, quam liberum arbitrium possit super se ipsum; sed „liberum arbitrium est instrumentum se ipsum movens", sicut dicit Anselmus,[7]) et voluntas movere potest se ipsam: ergo multo fortius moveri potest a gratia".[8])

c) Postremum ratiocinatur: „Omne quod est principium vitae perfectae, est principium motus in eo quod vivificat[9]); sed gratia [sanctificans] est principium vitae [supernaturalis] in anima: ergo" eam movet ut principalis motrix.[10])

His probatis, S. Bonaventura addit, quod sicut in ordine naturali Deus non destruit libertatem arbitrii, cum ei in omni sua actione suum praestet concursum, quo „voluntas movet se ipsam ad opera n a t u r a l i a"[11]) exercenda, ita et Deus in ordine supernaturali facit adiuvatque per gratiam liberum arbitrium, qua excitatus, motus ac sustentatus movet se ipsum ad opera **meritoria**,[12]) quin in aliquo praeiudicet eius libertati, quippe „movet **voluntarie**, non a voluntate, qua ipsa gratia sit volens, sed a voluntate, qua Deus **gratiam influens** est v o l e n s,

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus q. 6. fund. 1.

[2]) Locus citatus apud Augustinum invenitur in Serm. 30. (alias de Verbis Apostoli, sermo 12. cognitus) c. 8. n. 10.: „Tollite iugum meum super vos [Matth. 11, 29]. Tulisti hoc iugum? Tulisti? Sentis te habere s e s s o r e m."

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. fund. 2.

[4]) Intenditur ab auctore motus gratiae habitualis.

[5]) Cogitatur ab auctore motus gratiae actualis.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. fund 3.

[7]) Locus extractus ex Anselmo iacet ad litteram in eiusdem Sancti libro de Concord. praescientiae Dei cum lib. arbitrio. q. 3. c. 11.

[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. fund. 4.

[9]) S. Bonaventura hoc loco tacite alludit ad definitionem animae ab Aristotele II. de Anima, text. 24. (c. 2.) exhibitam hisce verbis: animam esse id „q u o v i v i m u s e t s e n t i m u s e t m o v e m u r e t i n t e l l i g i m u s p r i m o;" Ed. Acad. R. Borussicae, vol I. B 2, 414ª. 13.

[10]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. fund. 5. — Gratia est principium vitae supernaturalis in homine, sed tale principium a S. Bonaventura „a c c i d e n s a n i m a e" (II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. et 6.) vocatur.

[11]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. ad 1.

[12]) , II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. ad 1: „Sicut enim voluntas . . . adiuta per gratiam movet se ipsam ad opera m e r i t o r i a."

et a voluntate, qua liberum arbitrium **gratificatum** vult movere se ipsum,[1]) nec tamen hoc voluntati repugnat, **quia voluntas vult sic moveri a Deo.** Unde sic movetur a Deo, quod movetur etiam a se ipsa; et ideo omne opus meritorium attribuitur gratiae et libero arbitrio".[2]) In tali proinde motione liberum arbitrium non est simpliciter **patiens,** nec Deus simpliciter **„tota causa motus",**[3]) nam expresse inquit ipse Doctor: „Talis autem motor non dicitur esse gratia, pro eo quod non movet nisi sicut **dispositio** vel sicut **instrumentum,** sicut prius fuit explanatum",[4]) scilicet quod gratia habitualis, quae ab eo variis nominibus vocatur: gratia gratum faciens, cooperans, subsequens, sive curans,[5]) cum sermo est de sacramentis novae legis, operetur ut dispositio, et gratia gratis data sive operans sive praeveniens sicut instrumentum. Unde respectu habito ad ultimam reflexionem concludit: „Uterque horum modorum intelligendi conveniens est et rectus, nec unus sine altero sufficit. Nam primus competit gratiae **cooperanti** sive subsequenti; secundus competit gratia **operanti** sive **praevenienti".**[6])

Demum hac regula generali totam quaestionem de liberi arbitrii motu a gratia absolvit: „Numquam enim gratia elicit opus meritorium, **nisi voluntas sibi cooperetur".**[7])

Hucusque nullam reperimus difficultatem in motu liberi arbitrii a gratia, quippe sermo erat de motu liberi arbitrii a gratia in bonum; sed si liberum arbitrium talem motum instrumentalem gratiae gratis datae, vel quod magis est, si motum **dispositionis**[8]) gratiae gratum facientis non sequitur, sed ab eo emancipatur et convertitur in contrarium, quaeritur, quomodo Deus sese habet ad talem actionem

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus, q. 6. ad 3.
[2]) „ , II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. ad 1.
[3]) „ , II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. ad 2.
[4]) „ , II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. ad 2.
[5]) „ , IV. Sent. d. 1. p. 1. a. unicus. q. 6. in corp.: „Cum dico gratiam sacramentalem, non tantum dico gratiam, sed etiam effectum curationis; et gratia quidem una est, sed effectus curationis plures sunt."
[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. in corp.
[7]) „ , II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. ad 5.
[8]) Richardus a Med., II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 5, qui erat Parisiis lector nominatus 1281) hoc modo declarat mentem S. Bonaventurae: „Gratia movet liberum arbitrium et per modum efficientis instrumentalis et per modum formae. Primo modo movet liberum arbitrium in instanti suae infusionis, quia in illo instanti Spiritus S. tanquam principale agens per suam influentiam, quae est gratia, tanquam per instrumentale efficiens in libero arbitrio causat quamdam excitationem et inclinationem ad bonum voluntatis actum . . . . . Movet etiam gratia liberum arbitrium per modum formae, in quantum liberum arbitrium per formam gratiae potest se movere et elevare ad opera meritoria de condigno, quibus motibus se movere sine gratia non poterat." Utrum haec dortrina quadret cum illa vere supra exposita S. Bonaventura, indicet benevolus lector! — Petrus a Tarantasio, II. Sent. d. 26. q. unica. a. 7., qui in multis quaestionibus subiit magnum influxum a S. Bonaventura, amico intimo, sic se de re exprimit: **„Movere aliquid dupliciter contingit: aut effective, sicut sol movet vaporem elevando sursum; aut dispositive, sicus pondus eius vel levitas movet inclinando ipsum. Primo modo Deus movet liberum arbitrium, et ipsum liberum arbitrium se ipsum, gratia perfectum et habilitatum ad se movendum. Secundo modo gratia movet ipsum."**

deficientem? S. Bonaventura aperte respondet: „Circa istam quaestionem fuerunt diversae positiones adeo magnorum virorum et adeo rationabiles, ut nec Magister[1]) ausus fuerit definire, quae earum magis contineat veritatem. **Attamen, quia per multam discussionem dubia ducuntur ad manifestationem, nunc communiter tenetur, quod illa opinio verior sit, quae dicit quod omnis actio, sive substrata peccato sive non, secundum id quod est actio, est a Deo**".[2])

Et hoc propter duplicem rationem ait, nempe propter eminentiam divinae potentiae et indigentiam potentiae creaturae.[3])

1° prompter eminentiam divinae potentiae:

„Quia enim Deus est causa primordialissima, ideo est influentiae maximae in causas secundas, et adeo magnae influentiae, ut nec modicum seu quantumcumque parvum, dum tamen aliquo modo sit **ens,** procedat ab aliqua causa creata, nisi cooperante divina omnipotentia".[4])

2° propter indigentiam potentiae creaturae:

„Omnis etiam potentia creata, quantum est de se, defectiva est nec est pure activa: ergo quantumcumque faciat modicam operationem, necesse habet adiuvari ab ea potentia, qua est actus purus propter omnimodam impermixtionem cum materia, et quae sola sibi sufficit, nullo modo indigens iuvari a causa alia.

Et ideo, concludit: „haec positio, quae dicit, **omnem actionem esse a Deo, secundum quod actio est,** absque omni ambiguitate tenenda est".[5])

Cui conclusioni favet, ait S. Doctor, ipsa auctoritas Anselmi necnon recta ratio.

„Omnis qualitas, affirmat Anselmus, et omnis actio et quidquid habet aliquam essentiam, a Deo est, a quo est omnis iustitia et nulla iniustitia. Facit igitur Deus omnia, quae iusta vel iniusta voluntate fiunt, id est bona opera et mala. **In bonis quidem facit, quod sunt et quod bona sunt; in malis vero facit, quod sunt, sed non, quod mala sunt**".[6]) Sensus enim horum est: „Cum voluntas increata est bona, quae cooperatur voluntati creatae, voluntas creata potest esse deordinata, et ratione illius potest venire defectus circa operationem illam.[7]) Quamvis enim Deus

---

[1]) Cfr. Petr. Lombard. II. Sent. d. 37. c. 1.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. in corp.

[3]) „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. in corp.: „Nec immerito, quia istud oportet ponere, si pensetur eminentia divinae potentiae et indigentia potentiae creaturae.„

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. in corp., alludit ad Aristot., VII. Moral. Eudem. c. 18. (c. 14.): „Patet autem sic esse, quemadmodum in universo est Deus, et vicissim cuncta in illo [in textu Graeco, quae verba ed. Didot sic reddit, vel potius interpretatur: sic etiam in anima]; moventur enim omnia ab inexistente in nobis numine." Cfr. etiam de Mundo, c. 7. (c. 6.), necnon Libri de Causis, propos. 1.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. in corp.

[6]) „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. in corp. Anselmus, de Concordia praedestinationis et praescientiae, q. 1. c. 7.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 2.

cooperetur operanti, non tamen deficit cum deficiente.[1] **Deus illi actioni non dat nisi bonitatem [physicam] naturae; liberum autem arbitrium non privat eam bonitate naturae, sed bonitate moris.**[2] Agens creatum . . . cum vero exit in operationem **circumstantiis** debitis privatam, in hoc, quod exit in operationem, ei continuatur, sed in hoc, quod privat eam debitis circumstantiis, deficit et ab ea discontinuatur; et ita discontinuatur, non agendo, sed deficiendo, et deficiendo est principium mali; et in hoc, quod deficit, a Deo recedit, quia defectus ille a Deo non est.[3] Et ista duo non habent oppositionem, videlicet, quod aliquid habeat bonitatem naturae et privatum sit bonitate moris.[4] Deus cum prohibet aliquam actionem, non prohibet sibi, sed alii; nec prohibet suam cooperationem, quam non subtrahit creaturae, sed ipsi creaturae prohibet operationem; et ideo, dum cooperatur ei, non facit contra suam prohibitionem . . . Ab eo autem fit, secundum **quod est actio,** non autem secundum quod prohibita".[5] Proinde „in . . . operibus . . . malis non est nisi **sola cooperatio** divinae virtutis, quae existens in creatura **potentialiter, essentialiter et praesentialiter,** sicut conservat eam in essendo, sic adiuvat in operando; propter quod conceditur ibi esse **cooperatio,** non tamen **praeventio,** vel **subsecutio"**[6]**,** sicut in bono. In illis operibus divinis, ubi Deus, ut tota causa simpliciter operatur, nullus defectus potest esse, quia Dei opera sunt perfecta.[7] In aliis vero operationibus, ubi Deus non est tota simpliciter causa, sed aliis a se entibus libere creatis tantum cooperatur, **„omne quod dicit aliquam positionem a Deo est.**[8] **Deformitas autem monstruositatis est a defectu et errore naturae, quae venit ex improportione virtutis ad materiam, supra quam agit, sive pro eo, quod materia superabundat, sive pro eo, quod deficit"**[9]; proinde omnis talis **compositio,** secundum quod est compositio, a Deo est[10]; „illud autem quod est **privationis** vel defectionis non est a Deo, sed defectu nostro"[11]; nihilominus tamen diversitatem habent, inquit S. Bonaventura, quia unum dicit privationem, et aliud dicit positionem; et ideo potest unum Deo attribui, quamvis alterum non attribuatur".[12] Compositio potest esse „componentis actio,

---

[1] S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 4.
[2] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 5.
[3] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 4.
[4] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 5.
[5] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 1.
[6] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 5.
[7] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. ad 2.: „In actione Dei, quam Deus per se agit ut tota causa, non potest esse defectus ordinis."
[8] S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. in corp.
[9] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. ad 3.
[10] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. in corp.: „Concedendum est simpliciter, quod omnis compositio sit a Deo, secundum quod compositio."
[11] S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. ad 1.
[12] „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. ad 4.

componibilis passio, rei compositae dispositio. Et quoniam tam actio quam passio quam etiam dispositio rei compositae, secundum quod composita est, aliquid dicit; et omne quod dicit aliquam positionem a Deo est: **concedendum est simpliciter, quod omnis compositio sit a Deo, secundum quod compositio, sicut et omnis actio et conservatio.**"[1])

Sed quare Deus cooperatur in quibusdam actionibus, quae mox nominatae coniunctae sunt cum malo"[2])? „Tum quia decet divinam liberalitatem, inquit S. Bonaventura, ut solem suum oriri faciat super bonos et malos[3]); nec debet influentiam virtutis suae subtrahere nec bonis nec malis, maxime secundum illam influentiam, quae respicit primum esse. Secundo vero, quia decet divinam providentiam" sic res, quas condidit, administrare, ut eas agere proprios motus sinat.[4]) Tertio, quia ipse novit et scit inde bonum elicere; et ideo, cum cooperatur peccatori in actione, facit laudabiliter; et ideo nullo modo malitia, quae reddit suum auctorem culpabilem, est ei attribuenda".[5])

Quapropter „nihil est attribuendum, Deo, nisi quod decet suam potentiam, sapientiam et bonitatem: ideo actionem malam Deo tribuere non solum est falsitatis sed etiam blasphemiae et impietatis".[6]) Proinde cum omnis compositionis modus, species et ordo sit a Deo[7]), tanquam prima et immediata causa efficiente[8]); per consequens est, quod in illa compositione, cui iuncta est deformitas, et inordinatio, quae vere defuctus est, non est a Deo, sed a defectu alicuius causae componentis creatae, vel a defectu ipsorum componibilium."[9])

Demum potest quis dicere magis conveniens fuisse, quod Deus creavisset hominem saltem impeccabilem, nec permisisset eum impugnari, multoque minus ad malum flectere?

Ad primam obiectionem hoc modo responet S. Bonaventura: „Etsi ipsa divina operatio non indigeat approbatione, pro eo quod quidquid Deus facit, bene facit et recte facit; verumtamen ad excitandam

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. in corp.; cfr. et ibid. fund. 1. in quo S. Doctor alludit ad Richard. a. S. Vict., V. de Trin. c. 4.: „Omnis compositio compositore eget et sine beneficio compositoris esse non valet."

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. in corp. respicit Aristot., II. Ethic. c. 6.: „Quaedam enim confestim nominata convoluta sunt cum malitia."

[3]) Alluditur Matth. 5, 45.

[4]) Citatur August. VII. de Civ. Dei, c. 30.: „Sic itaque administrat omnia quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat."

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 2. q. 1. ad 3.

[6]) „ „ , II. Sent. d. 37. a. 2. q. 1. in corp.

[7]) „ „ , II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. fund. 4. in quo refert verba August., XI., de Civ. Dei, c. 15.: „Ab eo [scil Deo] est omnis modus, et omnis species, et omnis ordo, sine quibus nihil esse nec cogitari potest." Textus originalis ultima verba sic exprimit: „sine quibus nihil rerum inveniri vel cogitari potest."

[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 2. ad 3.: „Ideo, sicut ad conservationem rei necessaria est virtus formae complentis, sic etiam necessarium est adiutorium primi et immediati efficientis. Vide etiam II. Sent. d. 19. a. 3. q. 1. ad 5.

[9]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. in corp.

devotionem in mente fidelium, et compescendam, rabiem in ore blasphemantium et Deum in suis operibus inculpantium, quadruplex potest ratio assignari, quare Deus talem fecit hominem."[1])

Prima ratio est divinae potentiae manifestatio:

„Voluit enim Deus ostendere homini, quia, sicut sine eo factus non fuerat, ita nec sine ipso persistere poterat. Ut igitur homo nosset, quod divinum **posse** non solummodo est omnis potentiae causativum, sed etiam omnis potentiae conservativum, et quod ipsum solum est, quod non potest deficere nec expugnari: ideo placuit sibi, creaturam rationabilem facere vertibilem et expugnabilem, nec ipsam confirmare, quousque experimento disceret, quod ipse solus est, in quo non cadit **non-posse.**"[2])

Secundo vero divinae sapientiae:

„Maioris enim sapientiae ostensivum est scire ordinare bona cum malis et elicere bona ex malis, quam ordinare solum bona cum bonis, et ideo, cum non deceret Deum mala facere, debuit talem facere creaturam, quae posset in operando deficere et malum committere, ut Deus mala illa ordinando suam sapientiam declararet."[3])

„Tertia ratio sumitur ex manifestatione divinae misericordiae, quae potissime manifestata est, cum [Deus] unigenitum Filium suum tradidit ad liberationem servi."[4])

Quarta denique ratio desumitur ex manifestatione divinae iustitiae, qua „Deus retribuit unicuique secundum opera sua, praecipue in aeterna punitione malorum. Haec autem retributio et punitio et etiam praefata misericordiae liberatio non esset, nisi Deus creaturam rationalem, et praecipue hominem, in statu vertibilitatis, fecisset, et ita potentem impugnari et expugnari. — Et ideo congruum fuit, Deum hominem in tali statu facere."[5])

Fundatus rationibus expositis secundam obiectionem hisce verbis resolvit: „Cum Deus posset adversarium prohibere, ne hominem tentaret, decuit tamen ipsum permittere."[6]) Quare? Hoc enim competebat regimini [divino], respondet, in conservatione ordinis, qui attenditur ex comparatione virtutis ad actum proprium." Sic enim Deus res omnes administrat, ut eas agere proprios motus sinat[7]); et ideo tam hominem quam diabolum constituit in libertate arbitrii et in manu consilii sui reliquit[8]), et utrumque permisit agere quod voluit, sive hunc in tentando, sive illum in consentiendo".[9])

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp.
[2]) „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp.
[3]) „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp.
[4]) „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp.
[5]) „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 1. in corp.
[6]) „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. in corp.
[7]) Citatur August. VII. de. Civ. Dei, c. 30.: „Sic itaque administrat omnia quae creavit, ut etiam ipsa proprios exercere et agere motus sinat."
[8]) Respicitur textus Eccli. 15, 14.: „Deus ab initio constituit hominem et reliquit illum in manu consilii sui."
[9]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. in corp.

Item hoc competebat divinae providentiae ex ordine, „qui attenditur per comparationem b o n i a d s u u m o p p o s i t u m.“ [1]) Ratio enim est, quia in oppositione virtus gloriosior et laudabilior ostenditur; ex cuiusdam nobilis triumphi assecutione, magis „fortificatur et vigoratur. Ideo, ut virtus hominis [magis] r e l u c e r e t e t p r o f i c e r e t, decuit Deum permittere, ipsum [hominem] ab adversario impugnari.“ [2])

Rursus hoc conveniebat divinae condescendentiae ex ordine, qui attenditur comparatione „m o r b i a d s u u m r e m e d i u m. Quia enim peccatum hominis non debebat carere remedio, propter hoc quod tota in ipso humana natura erat; sic debuit Deus hominem permittere peccare, quod deceret ipsum eidem Redemptorem praestare.“ [3])

Postremum hoc decebat d i v i n a e a e q u i t a t i ex ordine, „qui attenditur per comparationem m e r i t i a d p r a e m i u m. Quia enim nemo dignus est coronari, nisi qui certat legitime [4]); ideo decuit Deum hominem militem suum in campo certaminis prius examinare, quam ipsum in gloria exaltare; et quia examinatio consistit in conflictu et pugna, permittere debuit, hominem a diabolo impugnari.“ [5])

Proinde nemo hominum sanae mentis potest Deum arguere unquam de aliqua re, quia **„si homo cum Deo stare voluisset, nullus violenter de manu Dei eum auferre potuisset; sed quia ipse ab eius custodia se subtraxit, ideo Deus suam ei custodiam denegavit [6]), quia non acceptat Deus servitium coactum, sed liberale et voluntarium [7]), et ex hoc adversarius eum invasit, immo non ex defectu Dei custodientis, sed ex ingratitudine hominis custoditi.“** [8])

„Etsi Deus hominem fortiter custodiret, non tamen custodiebat [eum] invitum sive involuntarium [9])“, quia, „impossibile fuit hominem vel aliquam creaturam rationalem **per naturam** habere liberum arbitrium **inflexibile ad malum.** H o c e n i m r e p u g n a t, dicit S. Bonaventura respondendo ad tertiam obiectionem, n a t u r a e i p s i u s **creaturae rationalis et a parte principii initialis et a parte termini finalis.“** [10])

A parte p r i n c i p i i i n i t i a l i s: „Si autem [liberum arbitrium] inflexibile esset ad malum p r o p t e r d e t e r m i n a t i o n e m, quia sic potens esset per propriam naturam in bonum, ut non posset deficere in malo, sicut est de libero arbitrio divino, quod ad sola bona determinatum est; iam tale liberum arbitrium careret vanitate per naturam suam: ergo iam non esset creatura nec productum ex nihilo,

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. in corp.

[2]) „ „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. in corp.

[3]) Alluditur 2. Tim. 2. 5.: „Nam et qui certat in agone, non coronatur, nisi legime certaverit.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. in corp.

[5]) „ „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. ad 4.

[6]) „ „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. ad 4.

[7]) „ „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. ad 4.

[8]) „ „ , II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. ad 4.

[9]) „ „ , II. Sent. d. 24. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.

[10]) Respicitur Rom. 8, 20: „Vanitati enim creatura subiecta est.“

cum omnis creatura vanitati subiecta sit[1]); et ita hoc esset contra naturam principii initialis, quantum ad hoc quod dicimus, creaturam rationalem ex nihilo esse productam." [2])

A parte termini finalis: „Si enim liberum arbitrium creaturae rationalis fieret naturaliter ad malum inflexibile, aut hoc esset propter ipsius arctationem ad bonum, aut propter ipsius determinationem. Si propter **arctationem,** ut sic faceret bonum, sicut lapis tendit deorsum; iam certe liberum arbitrium nec esset liberum, nec opus eius esset laude dignum; et ita ineptnm esset ad finem, propter quem est factum, videlicet ad laudis et gloriae praemium assequendum." [3])

Si tu replices: „Gratia est perfectio naturae, et perfectio conformatur suo perfectibili: si ergo gratia confirmationis omnino reddit naturam impossibilem ad peccandum, videtur, quod anima humana naturaliter capax sit talis stabilitatis et invertibilitatis. Si tu dicas, quod non est capax talis invertibilitatis, nisi mediante gratia; obiicitur contra hoc, quod talis vertibilitas ad malum aut est essentialis ipsi naturae, aut non. Si est essentialis: ergo videtur, quod per gratiam non possit auferri. Si non est essentialis: ergo videtur, quod sine tali vertibilitate ad malum possit natura rationalis fieri, salva sua natura et nulla superaddita gratia." [4])

Ad hanc incidentem replicam ipse S. Bonaventura respondet, quod **gratia qua quis confirmatur** „dicitur esse perfectio naturae non solum, quia adiuvat, sed etiam, quia defectum eius excludit. Unde in omni natura creaturae rationalis est aliquis defectus naturalis, qui per gratiam habet excludi, quantumcumque illa natura sit in genere creaturae perfecta. Et ideo non sequitur, quodsi aliquid convenit **alicui per gratiam,** quod conveniat per naturam. Et si obiiciatur, quod Deus potuit dare naturae, quod dedit gratiae; dicendum, quod natura non fuit nata suscipere. Sicut enim alia est natura operis moralis, alia operis naturalis, nec proprietas operis moralis potest convenire operi naturali, nisi naturale desineret esse naturale — non enim potest laus et vituperium, quae est proprietas operis moralis, secundum quod huiusmodi, competere operi naturali, in quantum tale — sic et in proposito intelligendum est se habere." [5]) Proinde „mutabile per naturam, immutabile per gratiam non sic opponuntur . . . .; et ideo non variant secundum substantiam liberum arbitrium." [6]) Nam mutatio alicuius dupliciter fieri potest: „Uno modo quantum ad substantiam sive essentiam, alio modo quantum ad statum; vel per alia verba; est mutari quantum ad primum esse, et est mutari quantum ad bene esse.

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 23. a. 1. q. 2. in corp.
[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 24. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.
[3]) „ , II. Sent. d. 24. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.
[4]) „ , II. Sent. d. 24. p. 1. a. 1. q. 1. oppos. 3.
[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 24. p. 1. a. 1. q. 1. ad 3.
[6]) „ , II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 1. ad 2.

Si loquamur de mutatione primo modo, sic sine dubio dicendum [est], quod confirmatio [per gratiam] liberum arbitrium non mutat, cum perficiat et conservet [1]), quia gratia est accidens [2]), et accidens est capax substantiam perficere et complere, non autem transmutare. [3])

Si autem loquamur de mutatione secundo modo, scilicet quantum ad statum vel bene esse; sic etiam absque dubio planum est, quod liberum arbitrium alium habet statum nunc, et aliud complementum, quam haberet prius: [4]) ergo ipsum non mutat." [5]) Etenim altera ex parte cum notum sit, quod malum „non est obiectum **per se** liberi arbitrii in quantum **liberum**, sed solum in quantum **deficiens**. Et ideo non sequitur, si non potest in malum, **quod non sit liberum, vel quod sit aliud; sed sequitur, quod non est deficiens, confirmante influentia manus omnipotentis, quae nullo modo sinit deficere, quamvis liberum habeat posse et velle.**" [6])

Quam ob rem S. Bonaventura superaddit: „Determinatio potentiae ad unum potest esse dupliciter, videlicet per necessitatem naturae et per confirmationem gratiae. Si sit per necessitatem naturae, tunc tollit arbitrii libertatem. ac per hoc tollit dignitatem meriti. Si autem sit determinatio per confirmationem gratiae, cum talis confirmatio gratiae simul stet cum libera voluntate, sic non tollit ab ipso opere bonitatem moris, cum sit voluntarium, ac per hoc nec qualitatem meriti. In Christo autem fecit liberum arbitrium determinatum ad unum non per necessitatem naturae, sed per confirmationem gratiae." [7])

Si ergo gratia confirmationis non tollit libertatem arbitrii, sed illud maxime complet, conservat atque perficit, a simili multo minus est nata illam distruere: gratia gratis data et gratia gratum faciens, quae sunt fundamentum primae. Unde „licet liberum arbitrium per se legem implere non possit nec gratiam in se efficere, **inexcusabile** tamen est, si non facit quod potest, quia **gratia gratis data** [seu sufficiens] semper est praesto ad commotionem, cuius adminiculo facere potest quod in se est; quo facto, habeat gratiam gratum facientem; qua obtenta, divinam impleat legem et faciat Dei voluntatem; qua facta, tandem ad beatitudinem perveniat sempiternam propter opera meritoria, quae totaliter sunt a gratia, totaliter etiam

---

1) S. Bonaventura, II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 1. in corp.
2) „ „ II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3.: „Gratiam esse in genere accidentis."
3) S. Bonaventura, II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 1. fund. 2.: „Gratia naturam perficit et confirmat; sed nihil quod alterum secundum naturam perficit et complet, mutat eius naturam: ergo gratia adveniens libero arbitrio ipsum non mutat."
4) S. Bonaventura, II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 1. in corp.
5) „ „ II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 1. fund. 3.
6) „ „ II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 1. ad 4. Cfr. Sermones selecti de rebus theol. Sermo II. n. 43—47 (t. V. p. 551—553).
7) S. Bonaventura, III. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. ad 1.

a libero arbitrio, licet principalius a gratia,[1]) quia nihil in nobis Deus praeter sua dona coronat." [2])

Ad tenendum faciliter memoriae principales lineas doctrinae expositae S. Bonaventurae de motu liberi arbitrii a gratia, sequens schema processus refertur.

Deus sive in ordine naturali, sive in ordine supernaturali primus est motor immobilis, qui omnes res movet modo earum naturae congruo: mirabilia seu universum ex nihilo creando; naturalia seu creata conservando; libera custodiendo et per gratiam perficiendo [II. Sent. d. 14. p. 1. a. 3. q. 1.; d. 7. p. 1. a. 2. q. 1.] Ratio horum est, quia sine primo agente nullum agens potest esse et agere [II. Sent. d. 28. a 2. q. 3] Ideo Deus omnes formaliter movet virtute quadam creata: quae in ordine naturali vocatur concursus Dei generatis, in ordine autem supernaturali concursus Dei specialis sive gratia [I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2.; II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6.]

Quare Deus omnes res movet? Quia bonus est; et bonum est diffusivum sui; et divina bonitas est ratio causandi ad extra, non ex necessitate naturae, sed per modum liberalitatis voluntatis suae. [I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1.]

Voluntas igitur Dei est causa prima omnium rerum et motuum. Ipsa tenet: ordinem actualitatis; scientia Dei: ordinem dispositionis: potentia vero Dei: ordinem executionis [I. Sent. d. 45. a. 2. q. 1.], quia Deus non omnia quae scit, agit; nec omnia quae potest, operatur. Ideo recte dicitur voluntas Dei esse causa prima omnium rerum et motuum, utpote ipsa „immediatius se habeat ad res."]I. Sent. d. 45. a. 3. q. 1. ad 1.]

Voluntas Dei est non solum prima causa omnium rerum et motuum, sed etiam illa est „causa prima et universalissima et actualissima" ipsarum, quoniam se habet ut „causa immediata in omni actione et re" [I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2.], „quorumdam tamen est tota causa, sicut eorum quae creantur; quorumdam autem est causa cum alia causa particulari, ut eorum quae sunt a natura et a voluntate particulari. Et haec quidem causa concurrit non propter indigentiam divinae voluntatis, sed propter suam liberalitatem, quae non tantum dedit rebus esse, sed operationem et diffusionem . . . . Nec una causa derogat alteri, sed totus effectus est a causa creata, et totus a voluntate increata" [I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2.] Hoc tamen „non est intelligendum, subiungit S. Bonaventura, quod Deus cooperetur libero arbitrio, sicut cum duo ferunt lapidem, unus cooperatur alteri, sed quia Deus est intime agens in omni actione et intimus est ipsi potentiae operanti, ita quod potentia ipsa in nihil exit, quod non sit ab ipso." [II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 5.] Et hoc ob eam rem dicit, quia idem effectus

---

[1]) S. Bonaventura, Brevil p. 5. c. 3.

[2]) „ , Brevil. p. 5. c. 3, sed verba sunt August., quae in pluribus locis occurrunt, ut e. gr. Enarrat. in Ps. 70. serm. 2. n. 5; in Ps. 102. n. 7; Epist. 194. (alias 105). c. 5. n. 19; Serm. 170. (alias 49. de Tempore) c. 10. n. 10; de Gratia et lib. arb. c. 6. n. 15: „Cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat quam munera sua."

potest esse immediate ab increata causa et a creata, sed non a duabus causis creatis, „quia duae causae creatae non sunt immediatae in eodem genere causae.“ [I. Sent. d. 45. a. 2. q. 2. ad 1.] Causa autem immediata est „inter quam et effectum non cadit alia substantia media causans.“ [I. Sent. d. 8. p. 1. a. 2. q. 1. ad 4.]

Eadem principia S. Doctor, tractans de gratia, applicat ad opera meritoria, „quae totaliter sunt a gratia. totaliter etiam a libero arbitrio, licet principalius a gratia“ [Brevil. p. V. c. 3.], quia „cum solus Deus sit ipsius gratiae fontale principium influendi, ipse solus est principium augmentandi per modum infundentis, et gratia per modum meriti et dignitatis, et liberum arbitrium per modum cooperantis et merentis, pro eo quod liberum arbitrium cooperatur gratiae et quod est gratiae suum facit.“ [Brevil. p. V. c. 2.]

Sed voluntas Dei cum sit rectissima et efficacissima, quae nullo modo carere potest veritate et efficacia, ideo nihil sine illa efficitur, nihil contra illam fit, nihil etiam est, a quo impediri valet [Brevil. p. I. c. 9.] Attamen nihil ei attribuendum est, „nisi quo decet suam potentiam, sapientiam et bonitatem: ideo actionem malam Deo tribuere, non solum est falsitatis, sed etiam blasphemiae et impietatis.“ [II. Sent. d. 37. a. 2. q. 1.] Nam Deus sic administrat, „res, quas condidit, ut non infringat leges, quas indidit; et sic cooperetur rebus, quas creavit, ut eas agere propriós motus sinat.“ [Brevil. p. I. c. 9.; August., VII. de Civ. Dei. c. 30.]

Proinde „in operibus . . . malis non est nisi sola cooperatio divinae virtutis [sive concursus], quae existens in creatura potentialiter, essentialiter, praesentialiter, sicut conservat eam in essendo, sic adiuvat in operando; propter quod conceditur ibi esse cooperatio [sive concursus Dei], non autem praeventio vel subsecutio“. [II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 5.] In illis operibus divinis, ubi Deus, ut tota causa simpliciter operatur, nullus defectus potest esse, quia Dei opera sunt perfecta [II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. ad 2.] In aliis vero operationibus, ubi Deus non est tota causa simpliciter, sed aliis entibus a se libere creatis tantum cooperatur, „omne quod dicit aliquam positionem a Deo est.“ [II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3.] „Deformitas autem monstruositatis est a defectu et errore naturae, quae venit ex improportione virtutis ad materiam, supra quam agit sive pro eo, quod materia superabundat, sive pro eo, quod deficit.“ [II. Sent. d. 37. a. 1. q. 3. ad 3.] Deformitas vero liberi arbitrii creati oritur ex ipsius volita deordinatione a regula morum. Unde quamvis Deus libero arbitrio cooperetur, „non tamen deficit cum deficiente.“ [II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 4.] „Deus illi actioni non dat nisi bonitatem naturae; liberum autem arbitrium non privat eam bonitate naturae, sed bonitate moris“ [II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1. ad 5.] Exinde concludit: „Omnem actionem esse a Deo, secundum quod actio est“ [II. Sent. d. 37. a. 1. q. 1.], secundum quod est deficiens, esse a creatura.

Deus, in ordine supernaturali, gratia gratis data sive operante sive praeveniente, ut instrumento movet liberum arbitrium et disponit de congruo ad gratiam gratum facientem sive cooperantem

sive subsequentem suscipiendam; gratia verò gratum faciente, ut dispositione ad opera supernaturalia de condigno exercenda dirigit [II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6.] Talis nihilominus directio motus nihil praeiudicat libertati, quia „movet voluntarie, non a voluntate, qua ipsa gratia sit volens, sed a voluntate, qua Deus gratiam influens est volens, et a voluntate, qua liberum arbitrium gratificatum vult movere se ipsum [II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6. ad 3.]; nec tamen hoc voluntati repugnat, quia voluntas vult sic moveri a Deo. Unde sic movetur a Deo, quod movetur etiam a se ipsa; et ideo omne opus meritorium attribuitur gratiae et libero arbitrio" [Ibid. ad 1.], quia „numquam enim gratia elicit opus meritorium, nisi voluntas sibi cooperetur." [Ibid. ad 5.]

Gratia non cogit liberum arbitrium, sed illud perficit, ut recte libere currat et minus deficiat. Ratio est, „cum est adiutum gratia, excellentius movet se ipsum, ita quod, cum liberum arbitrium sit movens et motum, gratia disponit ipsum sub ratione moventis." [II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 6.]

Similiter liberum arbitrium gratia non mutatur, sed corroboratur ad bene esse, quia gratia est accidens [II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3.] et accidens est capax substantiam complere, non autem transformare et destruere [II. Sent. d. 7. p. 1. a. 2. q. 1. fund. 2.]. Proinde confirmatio in gratia maxime confirmat liberum, in quantum est liberum, et aufert in quantum est deficiens. Unde Christus et beati magis sunt liberi, quam nos. Viatores sunt plus deficientes, et minus liberi [II. Sent. d. 27. a. 1. q. 3.]

Ex his indubitanter patet doctrinam S. Bonaventurae de motu liberi arbitrii a gratia sive actuali sive sanctificante essentialiter differt ab illa molinistarum concursum Dei simultaneum ad actiones causarum secundarum ponentium. Nam secundum eorum principia, quae sponte e scientia media sequuntur, actus humanus meritorius procederet a sola facultate naturali, gratia vero eum solummodo supernaturaliter per iuxtapositionem atque extrinsece perficeret, dum secundum S. Bonaventuram actus humanus meritorius procedit a gratia intrinsece transfigurante liberum arbitrium et intime disponente illud, ut agere proprios actus sinat, ita tamen ut non sit ille necessitas consequentiae, sed consequentis.

Caput III.

De effectibus gratiae et liberi arbitrii.

Articulus I. De iustificatione.

S. Bonaventura considerans gratiam, in quantum est remedium contra peccatum: „haec tenenda sunt, inquit, quod liberum

arbitrium, licet sit „sub Deo potentissimum“[1]), potest tamen per se in peccatum corruere, sed nullatenus potest resurgere sine adiutorio divinae gratiae, quae dicitur **gratum faciens**. Illa autem gratia, licet sit sufficiens remedium contra peccatum, non tamen infunditur adulto, nisi adsit liberi arbitrii consensus. Ex quo colligitur, quod ad iustificationem impii quatuor concurrunt, scilicet infusio gratiae, expulsio culpae, contritio et motus liberi arbitrii. — Expellitur ergo culpa a Dei dono [scilicet a gratia gratum faciente], non a libero arbitrio, non tamen sine libero arbitrio. Nam **gratiae gratis datae** est liberum arbitrium revocare a malo et excitare ad bonum; et **liberi arbitrii** est consentire, vel dissentire; et **consentientis** est gratiam [gratum facientem] suscipere; et **suscipientis** cooperari eidem, ut tandem perveniat ad salutem.“[2])

Proinde iustificatio nihil aliud est quam **„reparatio animae“**.[3]) Eius nomen derivari, dicit, a iustitia generali.“[4]) Iustificatiô in triplici sensu potest sumi: „Uno modo“ dicitur iustificatio ad iustitiam praeparatio; et huic quidem necessaria est attritio vel dolor. Alio modo iustitiae infusio; et huic necessario est infusio gratiae et expulsio culpae. Tertio modo iustificatio est in iustitia exercitatio; et huic necessaria sunt duo a gratia et duo ab anima, scilicet motus liberi arbitrii et contritio“.[5]) Iustificatio primo modo accepta, est „praedispositio ad formam completivam“[6]), cui debet esse ei haec conformis, quia „ad hoc, quod liberum arbitrium se disponat ad gratiam gratum facientem, indiget adminiculo gratiae gratis datae; et quia gratiae est liberum arbitrium non cogere, sed praevenire, et simul utriusque est in actum prodire: hinc est, quod in nostra, iustificatione concurrit actus liberi arbitrii et gratiae, consone quidem et ordinate, ita quod gratiae gratis datae est excitare liberum arbitrium; liberi arbitrii autem est

---

1) Hoc enim loco Brevil. p. 5. c. 3. S. Bonaventura tacite alludit ad S. Bernardi librum de Gratia et lib. arb., c. 9. n. 28., cuius verba de excellentia et potentia liberi arbitrii sic sonant: in illo „potissimum aeternae et incommutabilis Divinitatis substantiva quaedam imago impressa videtur“. In II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad opposit. 3. explicite eum citat, sed magis ad rem ab August. II. de Moribus Manich. c. 7. n. 9. docetur.

2) S. Bonaventura, Brevil. p. 5. c. 3.; cfr. Marcellum da Civezza, Il Breviloquium super libros Sententiarum di frate Gherardo da Prato (Prato 1882) p. 665: „E nota la dottrina dei Molinisti, secondo la quale **l'atto procederebbe dalle sole facoltà naturali, e la virtù infusa non sarebbe altro che perfezionarlo soprannaturalmente.** Invece la scuola Dominicana e la Franciscana, con la comune dei teologi fino a noi, sostennero che **l'atto proceda dalla virtù infusa,** civè **dalle facoltà dell'anima transfigurate dalla grazia, e stimolate ad agire soprannaturalmente.**

3) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. dub. 4.: Dicitur autem reparatio animae **iustificatio.“**

4) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. dub. 4.: „Quare dicitur **iustificatio?** dicendum, quod dicitur a **iustitia generali, non a iustitia cardinali.** — Quod quaeritur quomodo haec differant, iam patet.“

5) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3. in corp.

6) „ , Brevil. p. 5. c. 3.

huiusmodi excitationi consentire, vel dissentire; et consentientis est ad gratiam gratum facientem se praeparare, **quia hoc est facere quod in se est**; et sic disposito gratia gratum faciens habet infundi, cui liberum arbitrium potest cooperari, si vult, et tunc meretur; vel contrariari per peccatum, et tunc demeretur. Si ergo cooperetur ei usque in finem, meretur pervenire ad aeternam salutem".[1]) Licet Deus possit **„secundum speciale privilegium,** superaddit ipse S. Bonaventura, iustificare sine omni praeparatione; tamen secundum legem communem non iustificat nisi eos qui se praeparant, sicut dicitur iu Zacharia: „Convertimini ad me, et ego convertar ad vos."[2]) Et quia praeparatio debet esse secundum convenientiam ad iustificationem, in qua est motus liberi arbitrii et contritio; necesse est, quod homo se praeparet motu fidei et doloris, ita quod gratia inveniat liberum arbitrium in utroque istorum actuum, vel etiam summe paratum ad utrumque, ita quod in eodem instanti paratum sit moveri, in quo gratia advenit."[3])

Iustificatio secundo modo considerata quatenus est iustitiae infusio, seu transitus a quo ad quem[4]), iterum dupliciter inspicienda est; „Aut . . . in **parvulo,** aut in **adulto.** Si in parvulo; sic dicitur esse iustificatio per fidem non propriam, sed parentum vel totius Ecclesiae. Si autem sit iustificatio in adulto; sic, cum quatuor concurrant ad iustificationem, scilicet gratiae infusio. contritio, motus liberi arbitrii et peccati remissio, sicut dicunt magistri; et motus liberi arbitrii sit motus, qui pertinet ad virtutem fidei: non inconvenienter dicitur adultus per fidem iustificari[5]), **nec huic obstat, quod iustificatur per gratiam.** Illa enim quatuor necessario requiruntur ad iustificationem impii; et ideo aliquando homo dicitur iustificari per gratiam, aliquando per fidem, aliquando per poenitentiam, quia peccati remissio praesupponit illa tria".[6])

„Ideo, quamvis delere posset Deus sine medio culpam, decrevit tamen delere per gratiam, quae non tantum faceret innocentem, immo etiam naturam debilitatam habilitaret ad bonum."[7]) Unde etsi in natura

---

[1]) S. Bonaventura, Brevil. p. 5. c. 3.

[2]) **Citatur Zach. 1, 3.: „Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, et convertar ad vos" etc., quod a S. Bonaventura ex professo explicatur in II. Sent. d. 28. a 2. q. 1. ad 1.: „Quod primo obiicitur in contrarium, quod liberi arbitrii est converti ad Deum; dicendum, quod liberum arbitrium lapsum nunquam ad Deum converteretur, nisi aliquo munere gratiae excitaretur; quod quia praesto est ideo dicit Dominus: Convertimini ad me. Hoc enim ipso, quod invitat et vocat, exhibet homini aliquod donum gratuitum, per quod excitetur, et excitatus aliqualiter ad ipsum convertatur, et conversus per gratiam gratum facientem a Deo acceptetur; et ex hoc dicitur Deus converti ad ipsum."**

[3]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 3. in corp.

[4]) , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. ad opposit. 1.: „Iustificatio incipit a malo terminatur ad bonum." etc.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. dub. 3. respicit Rom. 5, 1.: „Iustificati ergo ex fide" . . .

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. dub. 3. et Brevil. p. 5. c. 3.

[7]) , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.

rerum est „quod **Deus** solus delet peccata **effective,** sed **formaliter** delet ipsa **gratia**“ [1]) gratum faciens. Quare hoc modo fit? S. Bonaventura tres rationes affert. Prima est, quia **„Deus nullius est forma perfectiva.“** [2]) Secunda vero, quia in opere iustificationis, quamvis Deus deleat effective omnem culpam hominis ab eo se prius avertentis et restituat eidem innocentiam[3]), nihilominus ipsimit reliquit „naturam debilitatam“ [4]), quae, ut habilitaretur ad bonum necessaria ei erat gratia[5]) Tertia denique, quia iustificare non est idem ac creare. Creatio „dicit opus, quod non respicit materiam praeiacentem“. [6]) Iustificatio vero „respicit materiam subiectam, et ideo non tantum respicit **efficientem** causam, verum etiam **formalem“.** [7])

Quomodo igitur iustificatio, in sensu proprio nominis sumpta, in nobis efficitur? Idem Doctor respondet: **In instanti.“**[8]) Et rationem sequentem adducit: „[Quoniam] imposibile est intelligere, quod **succesive, quia tunc simul esset gratia [gratum faciens] cum culpa [mortali]; gratia [gratum faciens] autem talis proprietas est, quae culpae [mortali] nullatenus possit permisceri.“**[9])

Quonam ordine hoc fit? Sententia S. Bonaventurae haec est: „Gratia est accidens et habet ortum realiter ab alio quam a subiecto proprio, scilicet a Deo.[10]) Unde triplicem habet comparationem: ad principium, a quo procedit; ad peccatum contrarium, quod expellit; ad subiectum, quod perficit; et omnes istae comparationes sunt **simul tempore,** tamen **naturaliter** prius gratia comparatur ad principium, a quo procedit, secundo ad peccatum, quod expellit, tertio ad subiectum, quod perficit. Unde proprie loquendo, prius est gratia ab efficiente, quam expellat culpam, per naturam“.[11])

1. **Gratia** iustificans in comparatione **ad principium, a quo procedit,** prius se habet natura ad illud, quam ad subiectum, quod informat:

„Prius autem est gratiam creari per naturam, quam subiectum esse gratia informatum. Unde sicut in actione et productione aiarum formarum intelligimus, quod forma prius se habeat in ratione

---

1) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. ad 1.

2) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. ad 1.

3) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.: . . . „Et quoniam misericorc est [Deus], ideo etiam amplius bonum reddit, quia magis indiget; ideo non tantum restituit innocentiam, sed etiam dat gratiam.“

4) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.

5) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. in corp., sed verba ad lit. sonant ut supra sub nota quinta inveniuntur.

6) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. q. 1. ad 2.

7) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. ad 2.

8) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 16. p. 1. a. 3. q. 1. in corp. et d. 17. p. 1. a. 2. q. 3. ad 4.

9) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. ad 5.

10) „ , II. Sent. d. 26. a. unicus. q. 3. in corp.

11) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. ad 4.

virtutis agentis quam qualitatis informantis; sic in proposito intelligatur, tamen prioritas non est temporis, sed naturae".[1])

2. Ipsa enim gratiae iustificantis in animam **infusio**, ut egrediens a suo principio considerata, naturaliter praecedit expulsionem culpae:

„Deus enim, expellit culpam infundendo gratiam; sed non infundit nisi ei qui concordat, et necesse est concordare gratiae advenienti et gratiae peccatum expellenti. Gratiae ut advenienti concordat per motum liberi arbitrii (seu attritionis), gratiae ut peccatum expellenti, per motum contritionis".[2]) Proinde ait: Actio mala expellitur timore, macula dolore, sed sequela [peccati] caritatis ardore. Unde timor est in iustificatione, ut dicitur praeparatio ad iustitiam, dolor ut infusio iustitiae, caritatis ardor in consummatione".[3]) Ad quod intelligendum notat: „Subiectum enim informatum aliqua qualitate. vel deformatum vitio non potest intelligi informari aliqua bona qualitate vel perfectione, nisi prius intelligatur expulsio contrariae. Et impossibile est, quod aliquid intelligatur expulsum ab aliquo, quin **prius intelligatur illud egredi a suo principio.** Quoniam igitur gratiae infusio non dicit perfectionem subiecti nisi per concomitantiam, sed potius **ipsius gratiae productionem ab agente** [Deo]; ideo patet quod prior est quam expulsio, sicut causa prior est suo causato".[4]) Quamobrem S. Bonaventura concludit hanc secundam considerationem: „Credo, quod Deus expellit peccatum per gratiam [gratum facientem], sicut sol per radios tenebras . . .; ideo cum causa praecedat effectum, infusio gratiae naturaliter prior est expulsione peccati, sicut lux praeit effugationem tenebrarum".[5])

3. Expusio denique culpae praecedit, secundum naturam, gratificationem completam subiecti:

„Dicendum, quod terminus ad quem non est gratiae infusio sed magis subiectum esse gratum et mundatum et gratia informatum. Unde bene concedo, quod gratia prius per naturam se habet ratione agentis quam informantis; et secundum quod habet rationem agentis, sic est principium iustificationis: secundum quod habet rationem informantis, sic est terminus."[6]) Ratio philosophica huius affirmationis est: „Forma enim, quae inducitur in materiam aliquam, prius est ibi ut potentia sive ut agens, quam sit ut perficiens sive ut actus. Sive igitur

---

[1]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. ad 4.
[2]) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3. in corp.
[3]) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3. ad 1 et 2 simul.
[4]) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. in corp., sed in fine alludit ad Aristot., II. Poster. c. 17. (c. 14.): „Causa enim prius est eo cuius est causa." Ed. Acad. R. Borus., B. 17. 99a. 16.
[5]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. in corp.
[6]) „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. ad 1.

expulsio culpae sit idem quod mundificatio, sive non „sequitur infusionem gratiae; gratia enim mundificat, et hoc per naturam prius habet facere quam subiectum denominare“ [1]), consequenter „prius per naturam competit gratiae expellere culpam quam subiectum informare“.[2])

Ex his manifestum est, quod S. Bonaventura, **in hac quaestione de ordine prioritatis quatuor elementorum, quae necessario occurrunt in iustificatione impii, inspicit infusionem gratiae in animam semper in ordine ad productionem eius a primo principio; informatio et perfectio subiecti ab eo hic non nisi per concomitantiam considerantur: „Quoniam igitur gratiae infusio non dicit perfectionem subiecti nisi per concomitantiam.“**[3])

Postea cum **eamdem gratiam iustificantem considerat in ordine ad subiectum quod illa informat et perficit**, statim modo valde naturale procedit: „Si ad hoc, quod gratia [gratum faciens] infundatur, necesse est, quod homo se praeparet consentiendo gratiae et detestando peccatum; **necesse est, in ipsa gratiae infusione ista quatuor esse, scilicet gratiae infusionem et liberi arbitrii motum, et contritionem et peccati expulsionem.** Deus enim expellit culpam infundendo gratiam; sed non infundit nisi ei qui concordat, et necesse est concordare gratiae **advenienti** et gratiae peccatum **expellenti.** Gratiae ut **advenienti** concordat per motum liberi arbitrii“ [4]), quia „ad susceptionem iustificationis in adulto requiritur motus liberi arbitrii, secundum quem consentit gratiae. Et quia primus motus per quem consentit gratiae, **est motus fidei;** ideo **motus ille est motus fidei.** Unde ad Romanos quinto: „Iustificati per fidem“ [5]); gratiae ut peccatum **expellenti,** per motum **contritionis.** Unde duo sunt ibi a Deo, scilicet gratiae infusio et peccati expulsio; et duo a nobis his duobus modis consona.“ [6])

His absolutis remanet adhuc tertia species iustificationis pertractanda, scilicet quatenus iustitia iam adepta ut **excercitatio** sumitur. Ad rem S. Bonaventura ait: „Secundum autem quod iustificatio dicitur in iustitia exercitatio . . . verum est et planum“, quod, „nemo enim in iustitia exercitatur, **nisi mediante fide operante per dilectionem;** et hoc dicitur impetrare iustificationem, id est profectum iustitiae, qui consequitur ex bonorum operum et meritorum multiplicatione, quod non contingit esse sine fide et caritate.“ [7])

---

1) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. ad 2.
2) „ „ IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. ad 2.
3) „ „ IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. corp. — Cfr. Halensis p. IV. q. 17. m. 4. a. 7. § 1—3.; S. p. III. q. 61. m. 6. a. 6.
4) „ „ IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3. in corp.
5) „ „ IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 2. in corp. — Rom. 5, 1. „Iustificati ergo ex fide.“
6) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. q. 3. in corp.
7) S. Bonaventura, II. Sent. d. 26. a. unicus. dub. 3.

In fine possumus breviter totam doctrinam S. Bonaventurae de iustificatione his verbis recollere, quod **„Deus solus effective [Js. 43, 25] delet peccata, sed formaliter delet ipsa gratia."**[1] **Deus solus operatur in nobis iustificationem „sine nobis efficientibus, non tamen sine nobis disponentibus vel consentientibus"** [2], iuxta illud Augustini dictum: „Qui creavit te sine te non iustificabit te sine te". [3]

Respectu ad hoc habito, S. Bonaventura, iustificationem — cuius nomen derivari dicitur „a iustitia generali, non a iustitia cardinali" [IV. dent. d. 17. p. 1. a. 2. Sub. 4.] — respicit dupliciter; in ordine ad causam efficientem scilicet Deum, qui nos efficienter iustificat et in ordine ad effectum, quem ipsa iustificatio in nos producit [IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1.; d. 17. p. 1. a. 2. q. 1.].

Quantum ad primum modum considerationis, non obstante, quod iustificatio in utroque casu sumpta „in instanti" fiat [IV. Sent. d. 16. p. 1. a. 3. q. 1.; S. 17. p. 1. a. 2. q. 3. ad 4.]; nam „impossibile est, dicit S. Bonaventura, intelligere, quod successive, quia tunc simul esset, gratia [gratum faciens] cum culpa [mortali]; gratia [gratum faciens] autem talis proprietas est, quae culpae [mortali] nullatenus possit permisceri" [IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. ad 5.], illam accipit tripliciter, scilicet:

1° quatenus a Deo producitur, et tunc prioritate naturae prius se habet ad principium a quo procedit, quam ad subiectum, quod informat. Ratio est, quia „forma prius se habet in ratione virtutis agentis quam qualitatis informantis . . . .; prius autem est gratiam creari per naturam, quam subiectum esse gratiâ informatum" [IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. ad 4.];

2° quatenus a Deo in animam infunditur, ipsa infusio gratiae gratum facientis, ut egrediens a suo principio, naturaliter praecedit expulsionem culpae. Ratio enim est: „Deus expellit culpam infundendo gratiam; sed non infundit nisi ei qui concordat, et necesse est concordare gratiae advenienti et gratiae peccatum expellenti. Gratiae ut advenienti concordat per motum liberi arbitrii [sive attritionis], gratiae ut peccatum expellenti, per motum contritionis" [IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3.];

3° quatenus a Deo gratiâ gratum faciente formaliter culpa expellitur: ipsa expulsio culpae mortalis naturaliter praecedit gratificationem completam subiecti. Ratio est: „Forma enim, quae inducitur . . . prius est . . . ut potentia sive ut agens, quam sit ut perficiens sive ut actus" [IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1. ad 2.], consequenter

---

[1] S. Bonaventura, IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 1. ad 1.

[2] „ , IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 2. ad 1.

[3] „ , Brevil. p. 5. c. 3. — August. Serm. 169. (alias 15. de Verbis Apostoli.) c. 11 n. 13; „Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te". [Migne, P. L. T. 38. col. 923].

„prius per naturam competit gratiae expellere culpam, quam subiectum informare“ [IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1.].

Si iustificatio sumitur in relatione ad effectum, quem in nos producit, rursus novus ordo elementorum, quae in iustificatione intrant, secundum prioritatem naturae, oritur, scilicet ipsius gratiae gratum facientis in animam infusio, motus liberi arbitrii ab ea in Deum per fidem formatam, contritio cordis per motum detestationis in peccatum et expulsis culpae [IV. Sent. d. 17. p. 1. a. 1. q. 3.].[1])

Haec distinctio bene memoriae tradenda est ad rite intelligendum, quare S. Bonaventura, supra cum sermo erat de infusione gratiae gratum facientis in animam, dixerat: gratiam gratum facientem a Deo prius infundi in liberum arbitrium, ut mediante illo continuet esse ad essentiam animae, et dum S. Thomas docuit, quod prius Deus gratiam influat in essentiam, ut postmodum influentia illa ex substantia redundet in potentias. Haec discrepantia inter utrumque inde ortum habet, quia primus infusionem gratiae gratum facientis in animam considerat in ordine ortus gratiae iustificantis a Deo, secundus vero in ordine ad effectum, quem ipsa iustificatio in nos formaliter per gratiam gratum facientem producit. Unde concludendum est, quod inter S. Doctores potius fuerit diversus aspectus considerationis modi infusionis gratiae gratum facientis in animam, quam vera oppositio et quod uterque pro sua sententia legitime dimicetur dummodo unusquisque eorum de sua propria positione et non inverso ordine, examinatus sit.

Articulus II. De merito.

Apud S. Bonaventuram leguntur variae divisiones meriti: „Est enim meritum **congrui, digni** et **condigni.** Meritum **congrui** est, quando peccator facit quod in se est et pro se[2]). Meritum **digni,** quando iustus facit pro alio. Meritum **condigni,** quando iustus operatur pro se ipso, quia ad hoc ordinatur gratia **ex condigno**; ad gratiam autem alteri promerendam non omnino ex condigno, quia peccator omni bono est indignus, nec solum ex congruo, quia iustus dignus est exaudiri.“[3]) Exinde **„mereri,** ait, contingit tripliciter: uno modo **simpliciter abusive,** alio modo partim **proprie** et partim **improprie.**

Simpliciter abusive mereri dicitur qui facit aliquod opus de genere bonorum, tamen facit illud malo modo, id est mala intentione.

Ille vero meretur partim **proprie,** partim **abusive,** qui facit opus de genere bonorum et bona intentione, verumtamen non ex caritate.

---

[1]) S. Thomas eodem modo iustificationem considerat in 1. 2ae q. 113. a. b.: „ . . . Quatuor enumerantur quae requiruntur ad iustificationem impii, scilicet gratiae infusio, motus liberi arbitrii in Deum per fidem, et motus liberi arbitrii in peccatum, et remissio culpae“.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.: „Et in tale [bonum] non potest liberum arbitrium absque munere gratiae gratis datae, per quod illuminetur et dirigatur et excitetur, ut velit facere aliquid, quod sit Deo placitum.“

[3]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 41. a. 1. q. in corp.; III. Sent. d. 4. a. 2. q. 2. in cord.

Ille vero meretur **simpliciter proprie,** qui facit bonum opus et bona intentione et ex caritate.

Et primum quidem meritum dicitur meritum **interpretativum**; secundum dicitur meritum **congrui**; tertium dicitur meritum **condigni.**[1])

Porro meritum de condigno dividit tribus modis: „Uno modo mereri est **ex indebito** facere **debitum,** sicut meretur quis in gratiae infusione et motu liberi arbitrii. Alio modo mereri est **de debito** facere **magis debitum,** sicut contingit de profectu in profectum, de virtute in virtutem. Tertio modo mereri est **de debito uno modo** facere **debitum alio modo,** ut ae debito per habitum facere debitum per usum, et de debito per alium actum facere debitum per unum atque bonum.“ [2]) Ex his tribus divisionibus meriti de condigno sciendum est, quod prima species intrat in iustificatione, secunda in exercitio iustificationis, tertia vero in perseverantia continua iustificationis.

Quidnam proinde **sit meritum** et **ad quod nos conducit?** Ipse S. Doctor respondet: **„Meritum dicit ordinationem ad praemium,** sicut dispositio ad complementum, sicut via ad terminum; et ideo necesse est, meritum pracedere praemium vel tempore vel secundum ordinem naturae.“ [3])

Diversa opera in statu gratiae gratum facientis facta, habent apud Deum respectivum proportionatumque praemium, si in tali statu permaneant perseverentque usque ad finem.[4]) Non solum hoc, insuper ait, quod opus externum, quod **ab eo „privilegiatum“** nuncupatur **ratione suae specialis dignitatis,** habebit aliquod specialius ac superius meritum, quia maius bonum potest aliquid dici dupliciter: **aut intensive,** utpote quia plus Deo placet; **aut extensive,** utpote quia pluribus prodest. Et secundum hoc dupliciter potest intelligi, quod **opus privilegiatum** addat ad bonitatem intentionis: „aut quantum ad proximorum aedificationem, aut quantum ad Dei approbationem. Et primo modo attenditur augmentum quantum ad exemplum, secundo modo quantum ad meritum.“ [5])

„Si igitur loquamur de additione quantum ad exemplum; sic absque dubio opus privilegiatum addit ad bonitatem intentionis, quia bonitas intentionis non lucet exterius nisi per ostensionem bonorum operum, et maxime privilegiatorum.“ [6])

---

[1]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. in corp. In his divisionibus S. Bonaventura subiit plus minusque magnum influxum Alex. Halensis, cfr. S. p. III. q. 17. m. 1.

[2]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. in corp.; cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. m. 5. a. 2. § 1.—4.

[3]) S. Bonaventura, III. Sent. d. 18. a. 2. q. 1. in corp.

[4]) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 3.: „Gratia autem sufficientem ordinationem ponit in viatore ad obtinendam gloriam, tum ratione suae dignitatis, ex qua totum hominem reddit Deo et acceptum et carum, tum etiam ratione divinae pactionis, tum ratione arduae operationis.“

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. in corp. sed in fine alludit ad S. Bernardi opus de Gratia et lib. arb. c. 14. n. 46. dicentis: **„Valet itaque intentio ad meritum, actio ad exemplum.“**

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. in corp., sed Matth. 5, 16. respicit innitendo supra eum in tota doctrina hoc loco exposita.

„Si autem loquamur secundo modo, scilicet quantum ad additionem, quae attenditur quantum ad meritum; sic distinguendum est, quod est loqui de merito respectu **praemii substantialis**, et respectu **praemii accidentalis**. Respectu praemii **accidentalis** opus privilegiatum addit supra bonam intentionem et voluntatem, quia **praemium accidentale**, quod est **aureola**, non debetur voluntati secundum se, **sed voluntati in opere.**“ [1])

Proinde homo in gratia gratum faciente constitutus potest **profectum accidentalem** facere **„utpote qui attenditur in fervoris intensione, vel habitus radicatione, vel operum multiplicatione.“** [2]) Alium vero profectum, „qui respicit **praemium substantiale**, secundum quem dicitur homo dignus maiori praemio; et hic non est in potestate gratiae, **sed in sola illius potestate, cuius est gratiam infundere.“** [3])

Itaque homo existens extra statum gratiae gratum facientis per bona opera in genere, motu gratiae gratis datae facta „meretur **de congruo** primam gratiam.“ [4]) Quonam modo fit his verbis declaratur: „Ibi enim est quaedam **congruitas**, quia facit quod in se est; non est tamen **condignitas**, quia inimicus Dei est et indignus pane, quo vescitur.“ [5]) Similiter sub alio respectu idem meritum de congruo tradit: „Aut est ibi **dignitas cum indignitate**, sicut est, quando vir iustus meretur peccatori primam gratiam: dignitas enim ex parte viri iusti, qui est amicus Dei et dignus a Deo exaudiri, sed indignitas est ex parte peccatoris; et ideo non est ibi plena ratio meriti.“ [6]) Peccator enim in tali statu se inveniens nihil meretur ad vitam aeternam; omnia opera eius bona mortua sunt, nec postea reviviscunt si tandem aliquando cum gratia gratis data ad Deum se convertat. Solum modo ea eius opera reviviscunt, quae antea facta erant in statu gratiae gratum facientis.[7]) Quare hoc? Valde naturaliter respondet S. Bonaventura: „Quia, quando dicitur opus vivum et mortificatum, hoc non dicit **diversas dispositiones circa opus**, sed dicit **circa opus diversas ordinationes**, scilicet ordinationem ad remunerationem, dum vivit, et privationem illius, cum iam mortuum est sive mortificatum. Sed in suscipiente sive homine dicit diversitatem penes qualitatem gratiae, quae est accidens absolutum ipsius subiecti, secundum cuius susceptionem et amissionem subiectum alteratur, et dicitur modo homo mortuus,

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. in corp.
[2]) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. ad 2.
[3]) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. ad 2.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent., d. 27. a. 2. q. 2. in corp.
[5]) „ , II. Sent., d. 27. a. 2. q. 2. in corp.
[6]) „ , II. Sent., d. 27. a. 2. q. 2. in corp.
[7]) „ , IV. Sent., d 14. p. 2. a. 2. q. 3.: **„Verum est, et communis tenet opinio, quod opera, quae prius fuerunt viva, quia ex caritate facta et digna vita aeterna, postea, adveniente culpa, in eo non sunt digna remuneratione propter indignitatem ipsius — sed rursus gratia redeunte, quae istum facit dignum vita aeterna, iam opera in hoc sunt digna remuneratione, et ideo restituuntur et vivificantur.“**

modo vivus, modo peccator, modo iustus, et ita alteratus. Sed opus ex consequenti est ordinatum ad vitam, vel hoc ordine privatum; et hoc non dicit motum, quia »in ad aliquid per se non est motus«." [1]) Exinde resurgens per poenitentiam a peccato potest resurgere „in aequali et maiori et minori [gratia], secundum quod se melius praeparat, et divina largitas dispensat." [2]) Perfecta enim poenitentia restituit in pristinam sanitatem ordinatim peccatorem „quantum ad **substantiam** habituum gratiae et habilitatum naturalium", [3]) sed non est necesse, quod semper et in omni casu restituat „quantum **ad aliquem statum** sive integritatem vel decorem **accidentalem.**" [4]) — Sed impossibile est intellectu semel „habitum amissum amplius illum eumdem recuperare [5]): ergo a simili impossibile est, opera bona, prius mortificata et amissa, eadem recuperari et vivificari." [6]) Hanc valde seriam obiectionem, quae primo aspectu in apparentia quadam simulat totam doctrinam supra expositam cassare, S. Bonaventura sobrie frangit: „Dicendum, quod aliud est **vivificari,** aliud **recuperari. Recuperatio** enim respicit **esse,** sed **vivificatio** respicit **ordinatum esse** sive ordinem, vel tale esse. Et quoniam quod desinit esse, si iterum incipiat esse, non est idem numero, sed aliud [7]); ideo habitus, si corrumpatur et amittatur, idem non **recuperatur.** Sed quia possibile est, quod idem, habeat alium et alium **ordinem;** et secundum hoc attenditur vivificatio et mortificatio in operibus et fortassis in habitibus: ideo possibile est, opus mortuum [mortificatum] **vivificari,** ita quod manet idem." [8]) Proinde gratia gratum faciens vere est et recte aestimatur tamquam funda-

---

[1]) S. Bonaventura, IV. Sent., d. 14. p. 2. a. 2. q. 3. ad 4. sed ultima verba tacite sunt excerpta ex Aristot., V. Phys. text. 10. (c. 2.). Ratio, quam Aristot. affert, est, quia **„ad aliquid** sive relatio in aliquo acquiritur, ipso quiescente; ut, si Socrates nunc sit dexter Platoni, et Plato moveatur, quiescente Socrate, tunc Socrates efficiatur sinister, ipso non moto. **Non igitur per se, sed tantum per accidens, i. e. moto alio, acquiritur nova relatio."**

[2]) S. Bonaventura, IV., Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 1. in corp.

[3]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 2. in corp.

[4]) „ , IV. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 2. in corp.

[5]) „ , IV. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 3. ad opposit. 3. in quo respicit Aristot. de Praedicam. c. de Oppositis, ubi etiam differentiae signantur, quae habentur inter ea quae sibi opponuntur secundum habitum ac privationem, et quae sibi opponuntur ut contraria. Inter quas differentias etiam haec est, quod unum contrarium (nisi alicui insit per naturam) mutari possit in alterum, quod in privatione autem et habitu impossibile sit „ad invicem mutationem fieri; ex habitu enim in privationem mutatio fit, a privatione vero in habitum impossibile est; neque enim caecus factus aliquis rursus vidit." etc.; V. Phys. text. 36. seqq. (c. 4.), et II. de Generat. et corrupt. in fine.

[6]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 3. ad opposit. 3.

[7]) „ , IV. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 3. ad 1. clarius declarat hanc propositionem: „De illo opere bono, quod homo potuisset facere vel fecisset illo tempore, quo peccavit, quod quidem non recuperabit; quia, si alio tempore velit facere opus, quod omisit, perdit opus, quod deberet in illo tempore facere. Unde Seneca [Epist. 1.; de Brevit. vitae, c. 8.] dicit, quod gravissima est iactura temporis, quia non potest recuperari.

[8]) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 3. ad. 3.

mentum meriti [1]), sed meritum cum de sua ratione importet ordinem et relationem [2]), „generaliter verum est, quod operum dignitas, et dati quantitas et operum numerositas ad profectum meriti facit respectu praemii accidentalis, licet differenter“,[3]) nam „ad profectum maioris praemii accidentalis potest aliquid valere tripliciter: aut ratione adeptionis aureolae, et sic opera specialis excellentiae faciunt ad profectum meriti voluntatis bonae; aut ratione adeptionis alicuius delectationis internae, et sic omnia opera, quae fiunt ex gratia, quodam modo valent ad profectum praemii accidentalis, quia, secundum quod homo opera facit, secundum hoc de pluribus iucundabitur in conscientia sua; aut ratione diminutionis poenae, et sic opera difficilia et poenalia faciunt ad profectum meriti et addunt ad meritum bonae voluntatis, quia remissionem alicuius poenae meretur homo ex voluntate cum opere, quam non meretur ex sola voluntate.“ [4])

Rursus ratione adeptionis **aureolae**, quae respondet „alicui decori exteriori“ [5]), quippe patet quod „aureolae assignantur his actibus, qui considerant aliquid extrinsecum, ut puta quod est **infra,** ut corpus; vel quod est **iuxta,** ut proximus, quem convertit et ad patriam per bonam doctrinam ducit. Unde decor quidam erit Doctoribus de conversis per ipsos; et quidam etiam decor et gaudium erit Martyribus in corpore, qui se pro Christo passionibus exposuerunt; quidam decor Virginitatis in corpore, quod pro Christo incorruptum servaverunt; **et ille decor vel gaudium de illo decore aureola dicitur.**“ [6])

Supra diximus S. Bonaventuram docere, quod homo in gratia gratum faciente constitutus potest profectum accidentalem facere, quem rite ac fideliter ad mentem eius, quantum possibile erat, retulimus ac exposuimus; modo nobis remanet, ut videamus **alium, qui respicit praemium substantiale et secundam quem dicitur homo dignus esse maiori praemio.**

De isto alio profectu ait: Hic non est potestate gratiae, sed in sola illius potestate, cuius est gratiam infundere.“ [7]) Tamen addit, quod homo in gratia gratum faciente constitutus, exercendo bona opera, potest augmentum praemii substantialis mereri disponendo et conservando: **„Et sic patet, quod operum multiplicatio quodam modo valet ad profectum in merito respectu praemii substantialis; et hoc dico disponendo et conservando.“** [8]) Nam accipiendo

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. ad 2.: „Nam usus gratiae ordinatur ad merendum gloriam, non ad merendum gratiam, pro eo quod ipsam praesupponit tamquam fundamentum.“

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. ad 5.: „Meritum enim de sua ratione importat ordinem et relationem.“

[3]) S. Bonaventnra, II. Sent. d. 40. a. 2. q. 3. in corp.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 40. a. 2. q. 3. in corp.

[5]) „ , IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3.

[6]) „ , IV. Sent. d. 33. a. 2. q. 3. in corp.

[7]) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. ad 2.

[8]) „ , II. Sent. d. 40. a. 2. q. 3. in corp.

meritum **respectu praemii substantialis,** contingit dicere, quod aliquid valet ad profectum meriti tripliciter: aut quia per illud meretur homo maiorem gloriam, et hoc modo maior caritas vel melior voluntas facit ad profectum meriti; aut quia disponit ad merendum maiorem gloriam, et talia sunt opera perfectionis [1]) quae dicuntur facere ad meriti profectum; aut quia conservat illud, per quod meretur homo gloriam, et sic omnia bona opera proficiunt ad meritum, quia in ipsis caritas exercetur et conservatur et radicatur, ut homo finaliter perseveret in illa. Et hoc non est parvum, quia, quidquid homo faciat, non salvatur, nisi finaliter perseveret." [2])

Ergo extra dubium est, quod homo in gratia gratum faciente constitutus augmentum praemii de condigno mereri potest.[3]) Sed praemium non est nisi corona meriti, ac meritum proprie dictum „fundatur in gratia gratum faciente, cuius est facere hominem Deo dignum" [4]) atque acceptum, porro gratia gratum faciens de se ordinatur a Deo ad quid sequens, quod est **usus** talis gratiae, qui facit eam continuo crescere et in hac vita augeri, per consequens meritum de condigno maius maiusque adipisci. Sed quonam modo concipi potest, ut gratia gratum faciens, quae est **accidens** quoddam **spirituale ac simplex** in homine habente eam, crescat et augeatur? Simplex enim ac spirituale non potest crescere nec augeri. Atqui gratia gratum faciens dicitur utrumque. Quo modo igitur hoc fit? Tempore S. Bonaventurae non erat res facilis hanc quaestionem dirimere. Omnes doctores conveniebant gratiam gratum facientem crescere augmentarique et cum illa meritum de condigno, sed in modo explicandi hoc augmentum plures disconveniebant. Difficultes oriebatur ex parte philosophica, quomodo unum ens accidentale, quod spirituale ac simplec est, per excellentiam ut gratia gratum faciens **informans** animam habentem eam, possit augeri exercitio bonorum operum? Aristoteles fixit firmum axioma metaphysicum: „Indivisibilis namque forma est," [5]) atque quaelibet additio vel diminutio inducit mutationem specificam.

[1]) Alluditur tacite Matth. 19, 21. „Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes et da pauperibus."

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 40. a. 2. q. 3. in corp.; Matth. 10. 22. „Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit."

[3]) Puto valde necessarium esse lectores operum S. Bonaventurae in quaestionibus de merito animadvertere quod ipse quandoque nimis restringit meritum de condigno ut v. gr. in II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. et Brevil. p. 5. c. 2 et meritum de congruo nimis extendit adhibendo speciales divisiones restrictionesque, quae post Tridentinum ex usu abierunt. De doctrina eius nihil dico, quippe bona ac catholica est, sed tantum certiorem redeo lectorem ne levitate studii illusus, quod proh dolor in manualibus accidit, aliquid tribuat S. Bonaventurae, quod eius non sit. Adsunt enim plures alii loci ut v. gr. II. Sent. d. 27. a. 2 q. 3; I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1.; III. Sent. d. 4. a. 2. q. 2; d. 18. a. 1. q. 3. in quibus eius nomenclatura, prout hodie fixa est, apparet.

[4]) S. Bonaventura, Brevil. p. 5. c. 2.

[5]) Citatur Aristot., VII. Metaph. text. 28. et VIII. text. 10. (VI. c. 8. in fine, et VII. c. 3.); Ed. Acad. R. Borussicae, vol. II., Ibid. H. 3. 1043 b. 1—4.

Quid igitur ad rem?

S. Bonaventura, antequam ad quaestionem directe respondebit, recensendo prius diversas opiniones profert: **„Sex modis dixerunt aliqui gratiam augeri“:** [1])

1.° „Contingit enim, aliquid augeri **per impermixtionem cum contrario,** sicut dicitur, quod »albius est, quod est nigro impermixtius«[2])

2.° Contingit nihilominus, aliquid augeri propter hoc, quod **minori succedit maius,** sicut dies augeri dicuntur.

3.° Contingit etiam, aliquid augeri propter **aggregationem** multorum, sicut lumen augetur in aëre propter multitudinem candelarum, ex quarum concursu fit aggregatio luminum.

4.° Contingit etiam, aliquid augeri **per additionem,** sicut augetur corpus per alimentum.

5.° Contingit etiam, aliquid augeri **per magnificationem** rei in se ipsa, sicut augmentata est costa, cum de ea facta est Eva [3]), et sicut augmentati sunt quinque panes, cum de eis quinque milia hominum pasti sunt.“ [4])

6.° Contigit etiam sexto modo, aliquid augeri **per accessum ad suum summum,** sicut aliquid dicitur magis pulchrum et magis luminosum, quod magis accedit ad perfectionem pulchritudinis et lucis.“ [5])

His praemissis improbat tres primos modos utpote insufficientes ad rite explicandum augmentum gratiae gratum facientis ac meriti de condigno.[6]) Ratio principalis ab eo ponitur: **„Idem enim est principium augendi et generandi** [7]), **quia ex eisdem est unumquodque et nutritur et augetur** [8]): **ergo per consimilem modum habet gratia generari, conservari et augeri; sed generatur in nobis per divinam influentiam: ergo et per eamdem maiorem augetur; sed ubi maior influentia, aliquid plus influit quam prius; et ubi hoc, ibi est additio: ergo** [9]) **sicut a solo Deo habet ortum, ita et augmentum.“** [10])

1) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.

2) „ „ II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp., sed ultima verba sunt Arist., III. Topic. c. 4. (c. 5.): „Et quae contrariis sunt impermixtiora, magis talia; ut albius quidem nigro impermixtius.“; IV. Phys. text. 84. (c. 9.); V. Phys. text. 19. (c. 2.): „Magis autem et minus est ex eo, quia plus aut minus contrarii inest, et non.“

3) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp. respicit Gen. 2, 21 seqq.

4) „ „ II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp. alludit ad Joan. 6, 11 seqq.

5) „ „ II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.

6) Doleo quod non possum hic omnes modos separatim afferre resolutos a S. Bonaventura, quippe de augmento caritatis agens, hanc quaestionem una cum gratia pertractravit, (vide I. Sent. d. 17. p. 2. q. 1 et 2.), nam aperte agnoscit: „Eodem enim modo tam caritas quam gratia habent augeri.“ Sed cum hinc non sit sermo de caritate, atque altera ex parte cum sit valde difficile, immo impossibile textus separatos invenire et adducere, remitto benevolum lectorem solum ad legendas has questiones in loco supra allato.

7) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2.; Aristot. II. de Anima text. 34—50. (c. 4.)

8) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2. fund. 4.; Aristot. II. de Gener. et Corrupt. text. 50. (c. 8.): „Omnia enim nutriuntur ex eisdem, ex quibus sunt.“

9) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2. fund. 4.

10) „ „ I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2. in corp.

Antequam ad tres ultimos modos responsa S. Bonaventurae praebuerim, teneo quamdam reconstructionem historicam perutilem esse hic ut praeambula praeferre circa varias in antiquis scholis illius aetatis vigentes opiniones de **augmento** et **diminutione formarum.** Haec enim non erant aliena a mente S. Bonaventurae, immo ad eum rite intelligendum ut necessaria esse praemittenda, quippe multa horum occurrunt ab ipso tacite citata atque excerpta in solutione trium posteriorum modorum.[1])

Boëthius enim nobis conservavit tres opiniones **de intensione seu de magis et minus formarum:**

1ª „Quidam namque dicebant, in omnibus secundum **materiae habitudinem** reperiri posse magis et minus Proprium namque esse materiae corporumque intensione crescere et minui relaxatione, quae quorumdam Platonicorum sententia fuit." [2])

2ª. „Alia vero, quae secundum certissimas verissimasque artes atque virtutes non diceret esse magis et minus, secundum autem medias dici posse, ut haec ipsa grammatica atque iustitia non dicitur magis grammatica neque magis iustitia. Esse autem quasdam alias mediocres artes, in quibus id ipsum posset evenire", [sicut, v. gr., de dispositione fit **medius habitus.**]

3ª. „Tertia est, de qua Aristoteles loquitur, quod ipsa quidem habitudines nulla intensione crescere nec diminutione decrescere putat, sed eorum p a r t i c i p a n t e s [sive subiecta] posse sub examine compositionis venire, ut de his magis minusve dicatur. Sanitatem namque ipsam et iustitiam alteram altera magis minusve non esse; neque enim quisquam dicit, magis esse s a n i t a t e m alia sanitate. Sed hoc solum dicere possumus, magis habere sanitatem aliquam, i. e: esse saniorem, et magis sanum et minus sanum. Dicimus ergo, quod i p s a e q u a l i t a t e s non suscipiunt magis et minus; q u i v e r o s e c u n d u m e a s q u a l e s d i c u n t u r, ipsi sub comparatione cadunt, ut iustior, sanior et grammaticior." [3])

Gilbertus Porretanus autem affert summatim has tres opiniones, quae suo tempore a diversis in scholis defendebantur: „Aiunt enim quidam secundum c r e m e n t u m v e l d i m i n u t i o n e m eorum

[1]) Cfr. S. Bonaventurae, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 1 et 2. praesertim argumenta ad opposita.

[2]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 1. ad opposit. 2—4. Boëthius, III. in Categorias seu Praedicamenta Aristotelis, c. de Qualitate, cuius verba plus minusve explicantur ab B. Alberto M., Comment. in libr. de Sex principiis Gilberti Porretani, tract. 8. c. 1.: „Eorum quidem u n a [opinio], qui dicebant, quod in omni, in quo invenitur magis et minus, invenitur aliquo modo materia, cuius quantitas, ut dicunt, ex indivisibilibus consistit: ubi plura similia in uno conveniunt, id dicunt intendi, et ubi pauciora sunt, illud dicunt remitti, et ideo albissima sunt in quibus plura indivisibilia concurrunt albedinis; remitti autem, ubi conveniunt pauciora. Et haec quidem opinio, ut dicit Boëthius, fuit Platonis. Videtur autem ab antiquo Anaxagora derivata, qui dixit, simile simili generari, et omnia esse in omnibus, sed latere: et ideo etiam intendi et remitti quodcumque secundum plus et minus apparet de ipso simili."

[3]) Boëthius, III. in Categorias seu Praedicamenta Aristotelis, c. de Qualitate. [Migne, P. L. T. 64. col. 240 seq.]

quae suscipiunt subiectorum. Aliter autem et alii ipsa quidem quae suscipiuntur in suscipiente diminui et crescere annuntiant. Alii autem secundum utrumque amborum diminutionem et augmentationem." [1])

Ad quae ispe respondet: „Patet itaque nihil secundum magis et minus praedicari neque secundum subiecti solum augmentum vel diminutionem neque secundum accidentis; quare neque secundum utrumque. Oportet igitur ab aliis ea invenire, quae cum magis et minus dicantur. Huiusmodi vero sunt ea, quae sunt in voce eorum quae adveniunt, et non secundum subiecti vel mobilis crementum vel diminutionem, sed quoniam eorum, quae sunt in voce, impositioni propinquiora sunt, sive ab eadem remotiora. De his etenim cum magis dicuntur quae proximiora sunt ei quae in ipsa voce est impositioni, cum minus autem de his quae remotiora consistunt, ut album dicitur illud, in quo pura albedo est; quanto igitur ad vocis impositionem accedens puriori inficitur albedine, tanto et candidior assignabitur . . .

Dubitabit autem aliquis, quare haec quidem cum magis et minus dicantur, substantiae vero minime? Hoc autem contingit, quoniam substantiarum impositio quidem in termino est, ultra quem transgredi impossibile est. Additur autem et de accidentibus quibusdam, quae sine magis et minus dicuntur, ut quadrangulus et triangulus et similia; non enim triangulus magis unus altero dicitur." [2])

S. Bonaventura habens prae oculis omnes has explicationes philosophicas **de augmento et diminutione formarum**, eas gravi examini subiiecit atque cribravit resolvens ante omnia illud axioma Aristotelis: **„Indivisibilis namque forma est."** [3]) — **„Verum est, inquit, de forma universali; si autem dicatur de forma singulari, verum est in se considerata, sed non prout in alio"**, [4]) quippe **„quamvis forma non sit variabilis secundum sunm esse absolutum, proprie loquendo de variabilitate, tamen quia naturalem habet aptitudinem, ut sit in materia, in qua potest recipere variabilitatem, simpliciter invariabilis dici non debet"**, [5]) proinde illud principium Gilberti Porretani quod **„forma est compositioni contingens, simplici et invariabili essentia consistens"**, [6]) quo sensu intelligendum esse declarat his verbis: „Verum est, si considerentur **secundum essentiam abstractam**; sed si considerentur

[1]) S. Bonaventura expresse citat Gilberti Porretani tractatum de Sex Principiis [v. Migne, S. L. t. 188. col. 1257. seqq.] in I. Sent. d. 8. p. 1. a. 2. q. 2. ad opposit. 1.; ibid. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 1. ad opposit. 1. tacite, sed in utroque loco eum in trutinam revocat. Locus quidem citatus invenitur in ultimo capite eius tract. de Sex Principiis.

[2]) Gilbert Porret., de Sex Principiis, c. ult.

[3]) Aristot., VII. Metaph. text. 28. et 28. et VIII. text. 10. (VI. c. 8. in fine, et VII. c. 3.); Ed. A. R. B. vol. II., Z. 8. 1034a. 8.; Ibid. H. 3. 1043b. 1—4.

[4]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 1. ad 1.

[5]) Ita explicat ad hunc locum Richardus a Med., I. Sent. d. 8. a. 2. q. 2. ad 2. mentem S. Bonaventurae.

[6]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 8. p. 1. a. 2. q. 2. ad opposit. 1.; Gilbert. Porret., de Sex Principiis. c. 1.

secundum esse naturae, sic de necessitate habent accidentia coniuncta et possunt variari; variatio autem accidentalis respicit esse." [1])

His rite praemissis pergit in medium rei ad explicandum quo modo fieri possit in nobis augmentum gratiae gratum facientis, quae est forma accidentalis animae et radix et mensura meriti de condigno.

Ante omnia ille distinguit inter mutationem et augmentum substantiae quantitatis gratiae gratum facientis: „Mutari ergo secundum substantiam hoc potest esse dupliciter: vel respectu esse simpliciter, et sic mutatum est aliud et aliud; **vel respectu esse perfecti,** et sic est idem, quia cum de imperfecto fit perfectum non est aliud, sed idem. Hinc est, quod gratia gratum faciens, [2]) quamvis substantialiter augeatur, **non est alia, sed eadem secundum substantiam.**" [3])

Ex his patet, quod gratia gratum faciens potest secundum substantiam augeri, in se tamen non mutatur, sed de statu perfecto ad perfectiorem crescit. Quanam quantitate virtutis aut molis? Ipse Doctor respondet: „Augmentum sequitur quantitatem. Quantitas autem dicitur dupliciter, scilicet **proprie** et **metaphorice**: proprie dicitur quantitas molis, et haec est in corporibus; metaphorice quantitas virtutis, et haec est in spiritualibus. Sic et augmentum dicitur dupliciter: proprie, scilicet secundum magnitudinem molis, et metaphorice secundum quantitatem virtutis. Cum ergo in gratia sit quantitas virtutis, et non summo, constans est, gratiam augeri posse." [4]) Sed tale „augmentum contingit dupliciter fieri: aut **per virtutem ipsius augmentabilis,** ut patet in animali; et tunc augmentabile habet se in ratione formalis et activi, augmentans in ratione materialis et passivi. Contingit et augmentum fieri **per virtutem extrinsecam,** possibilitate sola et unibilitate existente in augmentabili; et tunc augmentabile, quia imperfectum, se habet in ratione passivi, augmentas, quia perficiens, in ratione formalis et completivi, qui dat quantitatem [non molis, sed virtutis] perfectam." [5])

„Et hoc patet sic: quia contrario modo est in quanto molis et **quanto virtutis.**[6]) In quanto molis **simplicissimum est minimum, ut punctus; et ideo in hoc generi quanti accesus ad simplicitatem est per diminutionem, recessus e contrario per additionem.** In quanto vero virtutis **simplicissimum est maximum; et ideo accessus ad**

[1]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 8. p. 1. a. 2. q. 2. ad 1.

[2]) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp. ait: **„Eodem enim modo tam caritas quam gratia habent augeri",** per consequens cum ipse Doctor non separatim a caritate hanc quaestionem evolvat, licit mihi in textu ipsius auctoris loco „caritatis" ponere „gratiam gratum facientem", quia una expositio etiam ab ipso expresse applicatur ad declarandum augmentum tum gratiae gratum facientis, quam caritatis.

[3]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 1. ad 4.

[4]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 1. in corp.

[5]) „ , I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2. ad 4.

[6]) „ , I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2. ad 2. sed distinctio est desumpta ex Aristot., I. de Generat. et Corrupt. text. 35. seq. (c. 5.).

simplicitatem est per additionem; et hinc est quod gratia augmentata, est purior et simplicior et Deo similior. Nec videatur hoc inconveniens, quia addere puritatem et simplicitatem et spiritualitatem alicui non facit recessum a simplicitate, sed magis accessum.“ [1]) **Atqui anima accedens ad Deum per maiorem eius influentiam gratiae, gratum facientis fit purior, simplicior et Deo similior, utpote Enti maxime in se simplici, et creanti, conservantique omnes gradus perfectionum simplicitatis spiritualis; ergo augmentum gratiae gratum facientis, sicut meriti de condigno per accessum maioris divinae influentiae in anima a solo Deo producitur, tamen non sine nobis disponentibus et cooperantibus.** [2])

Quoad tres ultimos modos sic se exprimit: „Satis convenientes sunt nec improbari de facili possunt. Primus tamen eorum famosior est, pro eo quod magis consonat Sanctorum auctoritatibus, quae videntur dicere, in augmento gratiae infundi novam gratiam, cum loquuntur de diversa Sacramentorum efficacia.“ [3]) Secundus vero ab ipso cum honore relinquitur et quo sensu declarandus est in ultimo explicat[4]): „Ultimus autem motus non est minus intelligibilis quam aliquis praedictorum, immo secundum hunc modum dicendi obiectiones, quae fiunt contra gratiae augmentum, facilius declinari possunt. Quamvis enim augmentum per appositionem videatur repugnare simplicibus, tanto sit virtute maius[5]); augmentum tamen per accessum ad summum valde videtur eis consonum.“ [6])

Ceterum quidquid sit de illa re, valde benigne hanc quaestionem concludit: „Quocumque autem horum trium modorum sequentium dicatur, non est magna vis facienda, sed pro certo habentes, gratiam Dei in nobis augeri posse, laborare debemus, qualiter in nobis augeatur per bona opera. Per illa enim, ut dicit Augustinus »meretur augeri, ut aucta mereatur et perfici.«“ [7])

His finitis, tota quaestio refertur ad Deum, scilicet, utrum Deus meritum de condigno obligetur retribuere ex debito iustitiae commutativae, an vero distributivae?

---

[1]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 3. ad 2.

[2]) „ . , II. Sent. d. 40. a. 2. q. 3. in corp.: „Et sic patet, quod operum multiplicatio quodam modo valet ad profectum in merito respectu praemii substantialis; et hoc dico disponendo et conservando.“

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.

[4]) „ , [I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus. q. 2., et IV. Sent. d. 7. a. 2. q. 2.]: „Qualiter autem hic modus valeat sustineri, in primo libro distinctione decima septima dictum est.“ II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp., sed tacite alludit ad Liberum de Causis, prop. 17.: „ . . . Virtus, quanto plus approximat uni puro et vero, fit vehementior eius unitas et quanto vehementior fit eius unitas, est infinitas in ea magis apparens.“

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.

[7]) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp. Locus enim citatus August. invenitur in Epist. 189 (alias 205). n. 2. sententialiter; at verbotenus in Epist. ad Paulin. 186 (alias 106.)., c. 3.; cfr. Alex. Hal., S. p. III. q. 61. n. 4. a. 2. § 1 et 2, qui eodem fere modo ac S. Bonaventura ratiocinatur.

S. Bonaventura refert ad rem duas sententias fuisse.

1a. „Quidam enim dicere voluerunt, quod quia meritum condigni dicit quamdam obligationem in retribuente et quamdam commensurationem in servitio et retributione; et Deus non potest alicui obligari, et praemio gloriae nihil aliud potest commensurari: ideo dicerunt, quod nullus potest caelestem gloriam mereri ex condigno, sed si meretur, hoc tantum est ex congruo." [1])

Sed idem Sanctus animadvertit: „Meritum condigni non necessario ponit obligationem in retribuente, sed ponit sufficientem ordinationem eius qui remuneratur, ad quam remunerationem mediante aliqua laudabili operatione. Gratia autem sufficientem ordinationem ponit in viatore ad obtinendam gloriam, tum ratione suae dignitatis, ex quae totum hominem reddit Deo et. acceptum et carum, tum etiam ratione divinae pactionis,[2]) tum ratione arduae operationis." [3])

Ratione divinae pactionis, qua Deus „ex sua mera benignitate . . . voluit promittere se ipsum diligentibus se." [4])

2a. „Aliorum positio est, tradit S. Doctor, quod gloriam non tantum contingit mereri merito congrui — tale enim meritum reperiri potest in gratia gratis data — sed etiam contingit mereri merito condigni, pro eo quod gratiae et gloriae quaedam est commensuratio, et in Deo quaedam cadit obligatio, non ex necessitate, sed ex sua mera benignitate, qua voluit promittere et pactum firmare cum his qui eum diligerent, quod se ipsum mercedem eis retribueret, sicut in Abraham apparet." [5])

Hanc quidem sententiam S. Bonaventura non reiicit, sed in deficientibus quibusdam complens, acceptat. „Opus enim meritorium, dicit, comparationem habet ad principium, a quo exit, et ad finem, pro quo fit, et ad statum, in quo fit.

Si loquamur de ipso per comparationem ad principium, sic opus et ortum habet a voluntate libera et ortum habet a gratia. Et in quantum ortum habet a voluntate libera, est meritorium . . . In quantum autem ortum habet a gratia, sic, cum gratia reddat hominem acceptum Deo et sit quid divinum, et ad hoc sit ordinata, ut ducat ad Deum; opus illud est meritorium merito condigni." [6])

Si autem comparemus opus meritorium ad finem, pro quo fit; et ad statum, in quo fit: „Hoc potest esse, inquit, dupliciter:

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. in corp.

[2]) , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 3 respicit Jac. 1, 12.: „Beatus vir . . . accipiet coronam vitae, quam **repromisit** Deus diligentibus se."

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 3; et cfr. II. Sent. d. 29. a. 3. q. 2; d. 40. a. 2. q. 1—3.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 3.

[5]) , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. in corp., sed in fine alludit Ad. Gen. 15, 1.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. in corp.

vel **ad largitatem dispensantis, vel ad veritatem pollicentis.** Si comparetur ad largitatem dispensantis, sic est meritorium merito congrui; nam pro suae liberalitatis immensitate decet ipsum pro modico obsequio retribuere magnum praemium.[1]) Si vero comparetur ad veritatem pollicentis, ex qua promisit et quodam modo se voluntarie obligavit, quod tanto operi tantum redderet praemium; sic opus illud meritorium est merito condigni."[2]) Si denique „comparemus opus meritorium ad statum, hoc potest esse dupliciter: aut quantum ad temporis opportunitatem, aut quantum ad operis difficultatem. Si quantum ad temporis opportunitatem, quia nunc est tempus seminandi, ut dicit Apostolus,[3]) et qui facit opera meritoria semen proiicit in terram bonam[4]): congruum est, ut ex hac terra magnum fructum suscipiat. Et ideo recte Deus ei, qui in praesenti dimittit modicum, promittit reddere centuplum.[5]) Si autem consideretur operis arduitas; quia opus tale sic est in voluntate facientis, ut sit supra vires; et homo elevetur in faciendo ipsum supra se, et bono proprio praeponat bonum aeternum: hinc est, quod tale genus operis aeterna remuneratione est dignum, et sic per ipsum mereri contingit merito condigni,[6]) tum propter sublimitatem doni Spiritus sancti cooperantis in merito; tum propter veracitatem Dei promittentis; tum propter vertibilitatem liberi arbitrii consentientis et finaliter perseverantis; tum propter difficultatem status merentis; tum propter **dignitatem** Christi nostri capitis intervenientis; tum propter liberalitatem Dei retribuentis, quem non decet parva reddere propter obsequium sibi fideliter obtemperantis; tum propter nobilitatem operis, quod ex caritate procedit, quod tantum ponderat in conspectu iudicis, quantum amor, ex quo procedit, qui Deum incomparabiliter praeponit omnibus creaturis, et ideo non sufficienter et competenter potest nisi in Deo et summo bono remunerari."[7])

Proinde concludit: **„Etsi opus illud sit debitum, in quantum est creaturae; est tamen gratuitum, in quantum fit ex gratia et caritate. Et ideo, sicut ratio debiti non tollit rationem gratuiti, sic etiam non tollit rationem meriti."**[8])

Et si quis ad hoc obiiceret **„quod nec opus gratutum nec debitum potest obligare Deum; dicendum, quod etsi non possit Deus nobis obligari in ratione dati et accepti, sicut ostendit etiam ratio ultima;**

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. in corp., sed tacite alludit ad Anselmi Proslog., c. 10.: „Ita iustus es, non quia nobis reddas debitum, sed quia facis quod te decet, summe bonum."

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. in corp.

[3]) Respicitur 2. Cor. 9, 6; Gal. 6, 8.

[4]) Alluditur Matth. 13, 18; Marc. 4, 26; Luc. 8, 11 seqq.

[5]) Citatur Matth. 19, 29.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. in corp.

[7]) „ , Brevil. p. 5. c. 2. in fine.

[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 3.

obligari tamen dicitur quodam modo ex sua mera benignitate, qua voluit promittere se ipsum diligentibus se.“ [1])

Si denique replicaret: „Quod non potest ibi esse **meritum condigni**, quia non est commensuratio; dicendum, quod etsi non sit **commensuratio per omnimodam aequalitatem**, est tamen **commensuratio** per quamdam **convenientem proportionabilitatem**, sicut fructus dicitur recte commensurari semini, quando tantum excidit, sicut conveniebat fecunditati seminis et terrae germinanti.“ [2])

Ut notum est ex praecedentibus, ille **meritum dividit** in illud **congrui, digni** et **condigni. Meritum congrui** est, quando peccator facit quod in se est et pro se cum auxilio gratiae actualis.[3]) Si aliquis iustus, pro iniusto coram Deo, facit quoddam bonum opus, **de digno** meretur primam gratiam peccatori.[4]) **Meritum condigni** est, cum iustus operatur pro se motui gratiae sanctificantis cooperando;[5]) quod iterum considerari potest **sub triplici aspectu**: in primo scilicet instanti iustificationis peccatoris, cum ex iniusto fit iustus, vel quando iustus prosequitur in tali statu meritorie operari, tertio, cum in tali statu bonarum operationum continuo perseverat usque ad finem.[6])

Ex his particularibus institutis atque definitis infert **generalem definitionem meriti**, quae est: **ordinatio ad praemium.**[7])

Attamen cum diversa opera in statu gratiae sanctificantis facta apud Deum habeant certum praemium; nonnulla habent maius, nonnulla autem minus: secundum rationem gradus intensitatis gratiae, fervoris flammam, dignitatem operis, promptitudinem executionis nec non difficultatem et multiplicitatem actionum, praesertim actuum privilegiatorum, qui intentione tendunt ad meritum assequendum, actione quidem ad bonum exemplum praebendum.[8]) Omnibus his conditionibus enumeratis meritum coram Deo augetur, qui solus potest **praemium substantiale** conferre producendo maius accidens-esse gratiae in nobis[9]), homines vero per diversas bonas operationes iuxta varias qualitates operum possunt efficere **accidentale**[10].)

Uno solo peccato gravi commisso, altera ex parte statim **gratia sanctificans** expellitur, opera bona in statu eius facta **mortificantur**, quae iterum **reviviscunt** accedente nova gratia gratum faciente, Quare hoc? **quoniam opera illa bona ad remunerationem ordinata erant per gratiam sanctificantem, qua ablata, remanent tali continua** atque **vitali**

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3., sed in ultimis verbis alludit ad Jac. 1, 12.
[2]) „ „ II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 4 et 5 simul.
[3]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1. in corp.; II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.; III. Sent. d. 4. a. 2. q. 2. in corp.
[4]) S. Bonaventura, I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1. in corp.
[5]) „ „ I. Sent. d. 41. a. 1. q. 1. in corp.
[6]) „ „ III. Sent. d. 18. a. 1. q. 2. in corp.
[7]) „ „ III. Sent. d. 18. a. 2. q. 1. in corp.; II. Sent. d. 27. a. 2. q. 1. ad 5.
[8]) „ „ II. Sent. d. 40. a. 2. q. 1. in corp.
[9]) „ „ II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. ad 2.
[10]) „ „ II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. ad 2.

ordinatione in se privata, per consequens mortificantur, sed iterum **accedente ipsa, reviviscunt atque solito modo ad praemium ordinantur.**[1])

Opera quidem in **statu peccati gravis** facta, coram Deo in ordine ad meritum de condigno **mortua sunt,** nec unquam reviviscunt, utpote **necessaria ordinatione** gratiae gratum facientis **ad praemium carent.**[2]) Tamen, si peccator facit quod in se est cum auxilio gratiae actualis, meretur de congruo, ut Deus misereatur eius et gratiam sanctificantem illi infundat.[3]) Ut resurgens autem a peccato in aequali vel minori vel maiori gradu gratiae resuscitetur, ab eius meliori, sinceriori, compunctiori intensioriique praeparatione atque poenitentia dependet.[4])

Sed quomodo **gratia** quae est forma accidentalis ac supernaturalis animae nostrae et substratum omnis meriti, augeri vel minui possit? S. Doctor, sex diversas sententias de re antiquitus fuisse, narrat.

Prima earum tenet: per impermixtionem cum contrario; secunda: per successionem minorem in maiorem; tertia: per aggregationem magis amplam atque perfectam; quarta: per additionem; quinta per magnificationem gratiae in se ipsa; sexta: per ccessum ad summum: augmentum gratiae fieri.[5])

Quoad primas tres sententias S. Bonaventura dicit illas esse insufficientes ad explicandum augmentum gratiae, quae in se est spiritualis qualitas.

Primae tres sententiae natae sunt ad explicandum augmentum rerum materialium, non autem spiritualium, sed gratia, cum sit per excellentiam res spiritualis, quae a solo Deo, ente maxime spirituali, ortum habet, ergo et augmentum.[6])

Quoad ultimas **tres sententias,** quae aptae sunt sua natura ad notificandam **intuscrescentiam** gratiae, sic se exprimit ipse Doctor, quod omnes tres **convenientes sint,** nec de facili improbari possint, quippe consonant verbis Sanctorum[7]); tamen horum praefert **modum sextum,** utpote in se continet alios duos, nec non melius atque dignius cum eo explicatur **simplex esse** gratia **per accessum sive approximationem ad naturam summe simplicis esse,** quod est Deus. In quantum enim habemus in se maiorem **gradum gratiae,** in tantum **perfectius simplices sumus, quia magis divinum esse, quod est maxime simplex, participamus** ideoque **augmentum gratiae, quae** est fundamentum **meriti et praemi,** fit per **accessum** ad **summum.**[8])

Postremum quaeritur quonam debito iustitiae Deus debet remunerari **meritum de condigno?** Deus, proprie loquendo, ad nihil obligatur, quia absolutus creator et Dominus est omnium, tamen altera ex parte, cum scimus **ex revelatione s. Scripturae**[9]), quod propter meram suam

1) S. Bonaventura, IV. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 3., praesertim ad 4.
2) „ , II. Sent. d. 27. a. q. 2. in corp.
3) „ , II. Sent. d. 27. a. q. 2. in corp.
4) „ , IV. Sent. d. 14. p. 2. a. 2. q. 1. in corp.
5) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.
6) „ , I. Sent. d. 17. p. 2. a. unicus q. 2. fund. 4. et in corp.
7) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.
8) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 2. in corp.
9) „ , II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3.; Jac. 1, 11.; Matth. 19, 29. etc.

largissimam benignitatem Deus dignatus est **promittere se ipsum in mercedem diligentibus se,** potest quodam modo dici Deus obligari saltem **ex promissione** meritum de condigno remunerari, sicut re vera ab eo omne bonum opus praesertim meritorium, centuplum quam in se valet, remuneratur. Unde potest concludi, quod inter **meritum de condigno et Deum praemiantem illud adest quaedam conveniens proportionabilitatis commensuratio,** sicut fructus dicitur recte commensurari semini, quando tantum excidit, sicut conveniebat fecunditati seminis et terrae germinanti. [1])

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 27. a. 2. q. 3. ad 4. et 5. simul.

Tertia pars.

Caput unicum.

De gratia et libero arbitrio secundum statum naturae integrae.

Articulus I. De necessitate gratiae ante peccatum angelorum.

Omnibus stabilitis, quae a S. Bonaventura docetur de gratia et libero arbitrio in statu naturae lapsae, in praesenti videndum est, quid S. Doctor de gratia ante peccatum et lapsum tum angelorum quam protoparentum senserit.

Deus cuncta quae fecit, libere fecit: eius quidem opera sunt perfecta.[1]) A Deo qui est summum bonum, non potest exire nisi bonum.[2]) Unde sicut falsum et impossibile est asserere, quod duo sint rerum principia prima, ita similiter erroneum et in se repugnat dicere a Deo angelum et primum hominem originaliter factum esse malum.

Primo falsum et impossibile est asserere, quod duo sint rerum principia prima: „tum quia ordo universi destruitur; hoc posito, tum etiam quia divina potentia limitatur ex hoc, ut non possit corporalia producere, tum etiam quia ex hoc divina essentia circumscriptibilis ponitur, ut tantum sit in regione lucis; et si haec vera sunt, nec Deus est Deus, nec aliquid est bonum.“ [3])

Similiter erroneum est et in se repugnat dicere a Deo angelum et primum hominem originaliter factum esse malum: „Nam opus Dei, eo ipso quod opus Dei est, necesse est, ipsum esse laudabile, ordinabile, acceptabile, perfectum vel perfectibile.“ [4])

Opus Dei, eo ipso quod opus Dei est, primo necesse est, ipsum esse **laudabile**: „Nihil enim facit Deus quod non deceat suam maiestatem. Si ergo magnus Dominus et laudabilis nimis,[5]) et in tantum laudabilis, quod non tantum in se, sed etiam in nullo opere potest vituperari iuste, immo in omnibus digne laudari: impossibile est, quod faciat opus vituperabile, quantum est de ipso auctore. Sed malum, eo ipso quod malum culpae, dignum est vituperio: ergo impossibile est, quod aliqua creatura ab ipso habeat istam conditionem.

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2, a. 1. q. 1. fund. 1.: „Cuncta quae Deus fecit, erant bona: ergo nihil malum.“; Itiner mentis in Deum, c. 5.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. fund. 2.: „. . . Ita nec a summo bono nisi bonum.“; De reductione artium ad theologiam, n. 23.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 1. a. 2. q. 1. in corp.; cfr. Brevil. p. 1. c. 5.; p. 2. c. 1., 2.

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. in corp.; cfr. Palhoriès, S. Bonaventure, chapitre IX. Les anges et les démons, p. 272—293.

[5]) Allegatur tacite Ps. 47, 2.

Et rursus, non tantum malum dignum est vituperio, immo est quodam modo in Dei vituperium. Si ergo Deus faceret creaturam malam, ipse faceret sibi vituperium et contumeliam" [1]), quod „non tantum falsum est, immo haereticum" [2]) dicere.

Secundo necesse est, ipsum esse **ordinabile**: „quia nihil facit, nisi quod deceat suam s a p i e n t i a m; sed nihil quod Deus facit, est ordinabile in p o e n a, quia tunc Deus destrueret opera sua, et ita se praevaricatorem constitueret. »Deus enim illius rei est ultor, cuius non est auctor« [3]) . . . Ergo si Deus faceret creaturam malam, creatura non esset mala, quia tunc malum esset bonum per se." [4])

Tertio necesse est etiam, quod **sit acceptabile**: „Nihil enim facit Deus, nisi quod v u l t; sed omne quod Deus vult, iusta et bona voluntate vult: ergo cum omne quod iusta et aequa voluntas approbat, sit omnibus acceptabile." [5])

Quarto necesse est adhuc, „quod omne quod Deus facit, sit **perfectum** vel perfectibile, cum Dei perfecta sint opera.[6]) Ergo omne quod est in opere Dei a Deo, vel est perfectione, vel inclinat ad perfectionem." [7])

Cum igitur ista sint manifesta, concludendum est ergo, quod falsum est et in se repugnat a Deo primitus et originaliter sive angelum sive primum hominem creatum esse malum.[8]) Insuper addit, quod „tanquam magis veram et catholicam, et magis probabilem et communem opinionem illam esse tenendam, **quod moruia fuit inter creationem et lapsum, licet parvuia.** Propter quam Sancti et expositores et ipsa scriptura loquitur de malitia diaboli, quasi semper fuisset in ea, quia illud modicum quasi pro nihilo reputatur." [9]) Unde a limine reprobat atque reiicit opinionem **Hugonis a S. Victore** affirmantis, **angelos in primo iustanti suae creationis peccasse,** [10]) sequentibus argumentis tum ex auctoritate quam ex ratione.

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. a. 1. q. in corp.
[2]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. in corp.
[3]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. in corp., sed textus est Fulgent., I. ad Monimum. c. 19.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. in corp.
[5]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. in corp.
[6]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. in corp., sed respicit Deut. 32, 4.
[7]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. in corp.
[8]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. in corp.: „Cum igitur hic sint, quatuor incompossibilia manifesta, manifestum est, quod falsum est et impossibilet Deum fecisse Angelum originaliter malum".
[9]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 2. q. in corp., sed verba in fine allata de Aristot., II. Rheto·. c. 3. (c. 2.) desumpta sunt: „Quae vero nihil aut admodum parva sunt, pro nihilo habenda esse putamus;" Ed. Acad R. Borrussicae, vol. III. Artis Rheior. II. 2. 707 b. 13.
[10]) **S Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2 ; „Antiqua positio fuit aliquorum, quod simul tempore diabolus et peccavit, nec unquam fuit nisi malus.** **Hugo a S. Victore, S. Sent. tr. 2. c. 3.: „Quaeritur utrum aliqua mora fuerit inter creationem eorum [scil. Angelorum] et casum? Ad quod potest dici quod non fuit mora; et tamen illud prius, istud posterius, sed sine intervallo."** Hanc opinionem sequaces Hugonis exagerantes et detorquentes postea praebuerunt ausam, quod ab episcopo Parisiensi erat condamnata: „Anno Domini 1240 in octava Epiphaniae." Cfr. S. Bonav. II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2: Codex N.

1°. Ex auctoritate:

a) „Ezechielis: »In deliciis paradisi fuisti, plenus sapientia et perfectus decore . . .«: ergo cum hoc intelligatur de diabolo, . . . fuit ergo aliquando sine peccato." [1])

b) „Hoc dicit Augustinus undecimo de Civitate Dei: »In deliciis paradisi Dei fuisti, omni lapide pretioso ornatus es«; ubi aliquando intelligitur fuisse sine peccato." [2])

c) „Communis opinio magistrorum Parisiensium est, quod duratione conditio Angeli praecessit lapsum; et de communi consilio magistrorum positio opposita excommunicata est ab episcope Parisiensi:[3]) **»Quod malus angelus in primo instanti suae creationis fuit malus et numquam fuit bonus.«**" [4])

2° Ex ratione:

a) „Omne peccatum actuale exit in esse per actum deliberationis; sed ubi deliberatio, ibi collatio et successio de necessitate: ergo si peccatum sequitur deliberationem Angeli, peccatum sequitur Angelum non tantum n a t u r a, verum etiam d u r a t i o n e. Si tu dicas, quod angelus propter intellectum deiformem deliberat in instanti, et simul videt et deliberat; ostendo, quod non potest esse. Angelus enim ad hoc, quod appeteret, necessario tria praecognovit: et appetibile et cui appetebat, et rationem moventem — aliqua enim ratio fuit, quae excitavit — sed ista sunt diversa, et impossibile est per naturam, aliquam potentiam simplicem simul et semel ad plura converti; propter quod etiam dicit Philosophus,[5]) »quod intelligimus unum solum«: ergo si non simul, successive ergo cognovit." [6])

b) „Angelus, quando conditus est, aut factus est c u m sua operatione actuali, aut a b s q u e operatione actuali. Si a b s q u e operatione actuali: ergo post tempus peccavit necessario. Si c u m sua operatione; sed non decuit Deum concreare alicui rei nisi operationem suae naturae convenientem": [7]) ergo primo instanti primi actus, malus non fuit.

c) „Haec duo sunt vera per se, quod nullus in illo instanti, quo peccat, potest vitare peccatum, et nullus peccat actuali peccato in eo quod vitare non potest; sed si Angelus peccavit in illo instanti, non potuit in illo vitare, nec in aliquo, quod esset ante illud, nec post: ergo non potuit vitare. Sed si non potuit vitare, non peccavit: ergo si peccavit in primo instanti, non peccavit." [8])

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3, p. 2. a. 1. q. 2. fund. 1.; Ezech. 28, 12. seq.
[2]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. fund. 2.; August., XI de Civit. Dei, c. 15.
[3]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. in corp.
[4]) „ , II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in fine: Articuli Parisiis condamnati: „Quintus est, quod malus angelus in primo instanti suae creationis fuit malus et nunquam bonus". Cfr. **Carol. Du Plessis d' Argentré, Collectio iudiciorum de novissimis erroribus etc. tom. 1. p.** 186. sep.
[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. fund. 3., sed verba Aristotelis se habent in II. Topic. c. 4. (c. 10): „Contingit enim plura scire, intelligere autem non"; Ed. Acad. R. Borrussicae, vol. III. Topic. II. 10. 63a. 34 et 35.
[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. fund. 3.
[7]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. fund. 4.
[8]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. fund. 5.

d) „Malum est corruptivum boni; sed nihil corrumpitur nisi quod est vel fuit: ergo in Angelo aliqui fuit, quod amisit per peccatum. Tunc ergo quaero, utrum in primo instanti peccaverit, an non. Si non, tunc habeo propositum; si sic, ergo peccavit subito. Sed cum in subita mutatione simul sit fieri et factum esse, simul erit corrumpi et corruptum esse, et ita non esse: ergo bonum in primo instanti non est. Sed non corrumperetur, nisi fuerit: ergo in eodem instanti fuit et non fuit, et ita contradictorie opposita sunt simul vera. Sed hoc est impossibile, et propter hoc vult Philosophus [1]), **»quod inter mutationes contrarias de necessitate sit quies media«: ergo inter illius boni productionem et ademptionem fuit quies media, et ita morula.** Si tu dicas — sicut dicitur de anima rationali, quia similiter potest ibi obiici — quod [malum] non adimit bonum, quod infuit, sed quod infuisset, si non peccasset; numquam enim fuit iustus et bonus, sed fuisset, si non peccasset; contra hoc est Augustinus de Correptione et gratia [2]): »Ille in veritate non stetit, dictum est de diabolo, quia ibi fuit, sed non permansit«: ergo illa responsio nihil valet hic.“ [3])

His probatis subiicit arti criticae argumenta oppositae sententiae: „Diabolus ab initio peccavit.“ [4]) Item ex Augustino illud: „Non frustra putari potest, in initio temporis diabolum superbia cecidisse, nec fuisse ullum antea tempus, quo cum Angelis sanctis pacatus vixerit et beatus, sed in ipso primordio creaturae a suo Creatore apostasse.“ [5]) Nec non illud, super quod totum systema eiusdem Augustini videtur fundari, scilicet quod omnia simul sunt creata a Deo, et per lucem intelligit angelicam creaturam formatam, per tenebras aversam a Deo, [6]) ita ut ibi nulla daretur mora. [7])

Ad primum quidem respondet: „Sensus est: diabolus ab initio peccat, id est statim post initium.“ [8]) Ad illud quod obiicitur de Augustino, insinuat: „quod dicit secundum alienam opinionem; quod patet, quia contrarium dicit undecimo de Civitate Dei: »Et illud, quod ab initio diabolus peccat, non ab initio, ex quo creatus est, peccare putandus est; sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia coeperit esse peccatum.“ [9])

---

[1]) Citatur Aristot., VIII. Phys. text. 62. et 71. (c. 7. et 8.); Ed. Acad. R. Borus. vol. I. 7. 261b. 20 et 21. Cfr. XI. Metaph. c. 11. (X. c. 12.); Ed. Acad. R. Borus., vol. II. K. 12. 1068b, 23—25.

[2]) Locus August. in l. c., c. 6. n. 10. iacet.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. fund. 6.

[4]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad oppos. 1.; I. Jon. 3, 8: „Quoniam ab initio diabolus peccat.“

[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad oppos. 2.; August., XI. Gen. ad lit. c. 16. n. 21.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad oppos. 2.; August., I. Gen. ad lit. c. 17. n. 32 seqq.; IV. c. 22. n. 39. seqq. et XI. de Civ. Dei, c. 19. seq. Cfr. S. Bonav. II. Sent. d. 12. a. 1. q. 2. et d. 13. a. 1. q. 1.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad oppos. 2.

[8]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad oppos. 2.

[9]) . , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad. 2.; August., XI. de Civ. Dei, c. 15.

Et illud quod obiicitur de systemate Augustini dicentis omnia simul [Eccli, 18, 1.] a Deo facta esse respondet: „Verum est quantum ad esse naturale, sed non quantum ad bene esse. Unde posuit, quod lux corporalis simul esset et divisa esset a tenebris, similiter, quod non est ordo materialium dierum; sed bene posuit ordinem spiritualium dierum secundum septemplicem conversionem intellectus angelici supra res,[1]) tamen addit, quod Angelus in instanti creationis „non fuit statim **in actu electionis**, quia illum [actum] antecedit deliberatio et praecognitio plurium; quia . . . non possunt esse simul, non ob repugnantiam actuum vel simplicitatum, sed **propter simplicitatem intellectus angelici, quia una conversione totus capitur intellectus ab uno obiecto, ita quod incompossibilis est in illo instanti conversio ad aliud obiectum.**“[2])

His omnibus consideratis S. Bonaventura infert, si inter creationem et lapsum Angelorum fuerit quaedam parva mora: **Angelos statim non creatos esse in statu beatitudinis per visionem Dei perfectae, sed in statu beatitudinis sine malo culpae et poenae, quae innocentiae status ab eo vocatur**: „Beatitudo dupliciter potest dici. Uno modo status perfectus plenitudine omnis boni, et haec ponit visionem Dei claram et tentionem perfectam; et hoc modo Angeli non sunt creati, nec aliqui nec omnes, sed habuerunt quidam ex eis in ipsa confirmatione. Alio modo dicitur beatitudo status perfectus privatione omnis mali, tam poenae quam culpae; et tales creati sunt Angeli, quia innocentes et impassibiles. Et de hac beatitudine loquitur Augustinus[3]); sed haec non est perfecta, nisi cum additur ei altera, et de hac currunt auctoritates probantes, quod beati facti sunt.“[4]) Quamvis Deus potuerit omnes Angelos in primo instanti beatos per visionem divinae essentiae reddere, tamen „nullis debuit dari, quia »**homines et Angelos meliores iudicavit Deus, si ei liberaliter deservirent**«[5]); ideo utrumque posuit in manu consilii sui.“[6]) Angelis in tali statu se invenientibus nihil deerat, erant innocentes et impassibiles cognoscentes suum Creatorem „**per speculum** . . ., quamvis non per **aenigma**“,[7]) scilicet per similudinem Dei in eorum natura impressam relucentemque.[8]) Eorum essentiam innocentiae originali ornatam his delineat verbis: „Sciendum est igitur, quod Angelis

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad 2.; August. IV. de Gen. ad lit. c. 22. n. 39. seqq. Cfr. II. Sent. d. 13. a. 1. q. 1.; Brevil. p. 2. c. 2.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. ad 3.

[3]) „ „ II. Sent. d. 4. a. 1. in corp.; August., de Correctione et gratia, c. 10. n. 27.: **„Diabolus vero et angeli eius, etsi beati erant, antequam caderent, et se in miseriam casuros esse nesciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent.“** [Migne, P. L. T. 44. col. 933.]

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 1. in corp.

[5]) „ „ II. Sent. d. 4. a. 1. q. 1. ad 6.; August., de Vera Relig. c. 14. n. 27.: „Tales enim suos meliores esse Deus iudicavit, si ei servirent liberaliter.“ Cfr. etiam de Agone christ. c. 10. n. 11.

[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 1. ad 6.

[7]) „ „ II. Sent. d. 3. p. 2. a. 2. q. 2. ad 6.

[8]) „ „ II. Sent. d. 3. p. 2. a. 2. q. 2. ad 6.

a primordio suae conditionis quatuor sunt attributa, scilicet simplicitas essentiae, personalis discretio, propter rationem insitam memoria, intelligentia et voluntas, et libertas arbitrii ad eligenda bona et respuenda mala. — Haec autem quatuor attributa principalia alia quatuor comitantur, scilicet virtuositas in operando, officiositas in ministrando, perspicacitas in cognoscendo et immutabilitas post electionem sive in bono, sive in malo".[1]) Omnia cognoscere potebant per species a Deo concreatas universales, per quas cognoscebant etiam singularia, sed non nisi dirigendo aspectum super cognoscibile, et species ad invicem componendo.[2]) Nihilominus tali **speculari** cognitione divinam **essentiam videre non poterant:** „Et hoc patet, inquit, quia haec cognitio est primum praemium, quo habito, mens creata quiescit tanquam beata et perfecta; hoc autem praemium nemo obtinet **nisi gratuita Dei influentia.**"[3]) Hoc sensu nemini Angelorum „data est praescientia sui status, quia habere certitudinem de sua permansione est cognitio magis spectans ad statum praemii quam ad statum meriti; et huius signum est, quod Deus aut paucissimis, aut nullis revelat quantumcumque dilectis et amicis, se certitudinaliter glorificandos."[4]) Proinde concludit: „Angelus certam praescientiam sui casus habere non potuit."[5]) Ratio est: „Cum enim hoc esset contingens, sciri certitudinaliter non potuit, nisi ab eo qui certitudinaliter omnia cognoscit et tam necessaria quam contingentia; talis est Deus solus."[6]) Sed cum Deus fecit Angelum rectum: „Absque dubio tempore **naturae institutae** [sive integrae] tam homo quam Angelus habilis erat ad diligendum Deum propter se et super omnia. Et hoc patet: impossibile enim erat, eum aliter esse rectum. Rectitudo enim mentis consistit radicaliter in amore. Amor autem rectus esse non potest, si aliquid diligat supra Deum vel aeque, vel aliquid diligat propter se, et Deum propter aliud. Si ergo Deus fecit hominem et Angelum rectum [Eccle. 7, 30], patet, quod unicuique dedit habilitatem ad **amandum se, Deum** super omnia et propter se."[7])

Attamen quaeritur, utrum talis dilectio Dei ab Angelis, praeditis naturae integra eiusque qualitatibus supra delineatis, processerit simul cum gratia, an non? Aliis verbis quaeritur, utrum Angeli habuerint gratiam sanctificantem a primo instanti suae creationis, an vero non?

---

[1]) S. Bonaventura, Brevil. p. 2. c. 6.; II. Sent. d. 3. p. 1. dub. 1.
[2]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 2. q. 1. in corp.: **„Deus enim in Angelis concreavit species universales omnium fiendarum rerum, et per illas certum est, quod potest omnia universalia cognoscere; potest etiam et singularia, sed non nisi componat ad invicem."** etc.
[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 3. p. 2. a. 2. q. 2. in corp.
[4]) „ , II. Sent. d. 4. a. 2. q. 1. in corp.
[5]) „ , II. Sent. d. 4. a. 2. q. 2. in corp.
[6]) „ , II. Sent. d. 4. a. 2. q. 2. in corp.
[7]) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 3. q. 1. in corp. Nota. S. Bonaventura iustitiam originalem sive Angelorum sive protoparentum nuncupat: naturam institutam. Post Tridentinum hic terminus disparuit ita ut hodie ab omnibus status iustitiae originalis appellatur termino a S. Thoma expresso: **natura integra,** cfr. 1. 2.ae q. 109. a. 4. in corp.

Si non, quandonam ea primo ornati sint? Potuerintne eam quodam modo mereri; vel quod facilius esse videtur, potuerintne ad eam saltem se praeparare absque ullo praevio motu gratiae actualis, quae a S. Bonaventura gratia gratis data nuncupatur?

Ad primam harum duarum interrogationum S. Doctor valde caute ac modeste respondet: **„Haec quaestio facti est; et quia non invenimus aliam rationem quam congruitatis, probabiliter utrumque possumus opinari, sicut et alii ante nos."** [1])

Deinde ad rem solvendam affert duas sententias illo tempore in scholis existentes, scilicet **unam Praepositivi,** [2]) quam postea secuti sunt B. Albertus Magnus, [3]) S. Thomas, [4]) Durandus [5]) aliique; alteram **Hugonis a S. Victore,** [6]) quam amplexi sunt Petrus Lombardus, [7]) Alexander Halensis, [8]) S. Bonaventura, [9]) Richardus a Mediavilla [Middletown], [10]) Aegidius Romanus, [11]) Henricus Gandavensis [12]) et Scotus [Report. 2. d. 4. q. unica. ni 12].

S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. enim his verbis refert primam: „Fuerunt enim aliqui dicentes, quod Angeli omnes creati sunt in gratuitis gratum facientibus."

Et ratio, quae movit eos, fuit haec, ex parte Dei scilicet perfecta liberalitas, et ex parte creatorum idoneitas. Quia enim ab instanti creationis erant vasa et receptacula munda, et Deus est promptus suam gratiam impartiri, nisi habeat obstaculum ex parte suscipientis; non dimisit Deus illa ad momentum vacua, sed statim ut condidit, gratia illustravit. Et talia debuerunt de nanu Dei exire receptacula, ut statim essent prompta in bonum usum. Unde sicut probabiliter coniiciunt aliqui, quod Deus fecerit arbores plenas fructibus et alia in statu nobilissimo et perfectissimo; sic etiam naturam Angeli ornaverit gratia a sui conditione, quae in primo usu bono sive victoria erat perpetuanda, et in prima deordinatione perpetualiter amittenda.

Haec est una positio, et satis videtur consona auctoritatibus Sanctorum, ut patet inspicienti."

---

1) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. in corp.

2) **Summa Praepositivi. Codex n. 71. Bibliothecae Tuderti (Italia) fol. 89. v. col. a Quaestio: „Cur angelica naturae vel alia spiritualis creatura magis dicatur facta ad similitudinem Dei, quam mundus iste vel quaelibet alia creatura? . . . . Solutio: Via magistrorum nostrorum communis est, scilicet quod creati fuerunt tantum in naturalibus; et quod lucifer numquam habuit gratuita . . . Nobis autem videtur quod creati sunt in naturalibus et gratuitis. Et quod obicitur quod primo erant informes et postea formati; ad hoc dicimus informes dicti sunt [Fol. 89. v. col. a.] in respectu virtutum quia virtutes non tantae erant quantae postea in confirmatione."**

3) B. Albert. M., II. Sent. d. 3. a. 12.; S. p. II. tr. 4. q. 18. m. 1. et seq.

4) S. Thomas, II. Sent. d. 4. q. 1. a. 3; S. I. q. 62. a. 3.

5) Durand., II. Sent. d. 4. q. 2.

6) Hugo a S. Vict., S. Sent., tr. 2. c. 2 et 3; I. de Sacr. p. V. c. 19.

7) P. Lomb., II. Sent. d. 4. c. 1.

8) A. Halen. S. p. II. q. 19. m. 2.

9) S. Bonav., II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2.

10) Richard. a Med., II. Sent. d. 4. a. 2. q. 2.

11) Aegid. Rom., II. Sent. d. 4. q. 1. a. 4.

12) Henric. Gand., Quodl. 8. q. 10.

Praepositivus apud Albertum Magnum, S. p. 2. tr. 4. q. 18. hoc modo eandem sententiam in substantia exprimit: **„Quidam enim concedunt, quod omnes angeli in gratia gratum faciente creati sint. Cuius opinionis fuit Praepositivus, allegans illud Augustini duodecimo** de Trinitate: »**Deus creavit angelos in casto amore, simul in eis condens naturam et largiens gratiam.**« [1]) Ad omnes vero auctoritates et rationes quae dicunt, quod Deus primo creavit informes, et postea eos formavit in conversione ipsorum ad se: dicunt quod prius et posterius non notant ibi successionem alicuius morae aut temporis, sed prioritatem ordinemque naturae ad gratiam: quo ordine naturalia praecedunt gratuita in eodem, sicut et esse est ante bene esse."

Petrus a Tar., II. Sent. d. 4. q. 1. similiter sententiam Praepositivi tradit: „Dixit Praepositivus, quod in gratia sunt producti, quia ad gratiae susceptionem suffecit dispositio habitualis quam habebant. Alii tenent contrarium [ut Bonaventura], dicentes quod gratiae susceptionem exigatur dispositio actualis, id est motus aliquis voluntatis, in habente liberi arbitrii usum."

S. Thomas, II. Sent. d. 4. q. 1. a. 3.; et S. 1. q. 62. a. 3.: „Quamvis super hoc sint diversae opiniones; quibusdam dicentibus quod creati sunt angeli in naturalibus tantum; **aliis vero quod sunt creati in gratia; hoc tamen probabilius videtur tenendum, et magis dictis sanctorum consonum est, quod fuerunt creati in gratia gratum faciente."**

Secundam sententiam vero idem **S. Bonaventura** his exponit terminis II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2.: **„Fuerunt etiam alii, qui dixerunt, Angelos non habuisse gratiam gratum facientem ab instanti creationis, sed post.**

Et ratio, quae eos movit, est dispositio naturae angelicae, quae fertur in id quod appetit sine retardatione. Unde sicut ex conversione ad malum ita profunde conversi sunt, ut non possent redire, sic, immo multo magis, **ex conversione ad bonum sive ex habilitate ita bono totaliter adhaesissent, si gratiam habuissent, quod nunquam lapsi essent . .**

Hanc positionem videtur acceptare Magister [II. Sent. d. 3. c. 4. et d. 4. c. 1.], **hanc positionem communiter tenent doctores; et ita huic tanquam probabiliori et communiori concordandum est."**

Hugo a S. Victore autem, qui fuit primus auctor Summae Sententiarum in occidente hoc modo istam sententiam instituens posuit: „Et ideo dicimus eos [scilicet Angelos] in principio creationis non habuisse aliquam virtutem vel iustitiam, nisi acciperemus virtutem naturalem, ut ratio, ingenium et huiusmodi. Nec possumus dicere quod iniusti essent; quia sine vitio erant. Et cum essent sine vitio, erant non miseri; cum poëna non praecedat culpam, nec tamen beati; quia non sunt in beatitudine, sed ad beatitudinem. **Si tamen aliqua auctoritas dicat eos in ipsa creatione iustos vel iniustos vel beatos fuisse, beatitudinem vel iustitiam vocat illum statum sine miseria et sine vitio."**

---

[1]) Locus citatus Augustini potius invenitur XII. de Civ. Dei, c. 9. n. 2.

[S. Sent. tr. 2. c. 2.] **„Hoc modo probamus quod boni erant angeli quando primum facti sunt, et quod boni facti sunt omnes, quoniam a bono facti sunt qui malum facere non potest. Si itaque boni erant et non mali; et quemadmodum boni erant, ita et iusti erant et beati erant. Sed ea bonitate et iustitia et beatitudine quam natura incipiens acceperat, non quam fecerat ipsa vel meruerat faciendo.“** [I. de Sacrament, p. V. c. 6.; Migne 176. col. 249.]

His ultimis verbis Hugo a S. Victore clare insinuat, quod iustitia originalis etiam est donum Dei praeternaturale, quod naturae superadditum est. Unde cum eam supra appellat naturalem, intelligendum est semper eo sensu quo possumus eam diferre a gratia, quae est donum Dei per excellentiam supernaturale, non quasi illa sit pura natura vel naturale debitum. Haec enim animadversio rite retinenda sit, quippe hoc modo ceteri magni scholastici loquuntur, dum de iustitia originali agunt.

Petrus Lombardus denique qui perfecit ampliavitque Summam Sententiarum Hugonis a S. Victore, exornando eam magis logico ordine, aequivalentibus verbis eamdem sententiam repetit:

„Quales fuerint Angeli in creatione, ostensum est, boni scilicet et non mali, et iusti, id est innocentes, et perfecti quodam modo, alio vero imperfecti. Beati vero non fuerunt usque ad confirmationem, nisi beatitudo accipiatur, ut iam dictum est, ille status innocentiae et bonitatis, in quo conditi sunt.“ [II. Sent. d. 4. c. 1.] Cfr. etiam II. Sent. d. 3. c. 4.]

S. Bonaventura ad trutinam revocans auctoritates rationesque utriusque partis, suum assensum praebuit secundae sententiae, tanquam „probabiliori communiorique“, [1] nihil praeiudicans primae, quae „satis videtur consona auctoritatibus Sanctorum“. [2] Referrens auctoritatem Hugonis Petrique Lombardi necnon Alexandri Halensis [3] ex una parte ad illam Praepositivi et Alberti Magni, [4] qui primitus secundam, postea primam defendebat, ex altera, adhaesit priorum sententiae, quam ipse Praepositivus in sua Summa vocat „communem magistorum“ [5] et D. Thomas „communiorem“ illius temporis, quamvis suam „veriorem“. [6]

Nihilominus ne eius consensus secundae sententiae aliis quasi non fundatus appareret, suam positionem his argumentis nititur probare.

1°. Ex auctoritate.

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. in corp.: „Hanc positionem communiter tenent doctores; et ita huic tanquam probabiliori et communiori concordandum est.“

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. in corp.

[3]) Alex. Halensis, S. p. 2. q. 19. m. 2.: „Dicendum est, quod hoc fuit status innocentiae: in quo attenditur quasi quaedam beatitudo . . . Natura rationalis naturaliter semel vertibilis est de se, non pluries; nisi ex unione sum aliquo alio: sicut est de anima rationali: quae separata a corpore, necessario permanet in statu, in quo erat ante seperationem. Unde angelica natura semel vertibilis est: unde semel aversa a Deo, semper permanet in aversione: et conversa ad Deum, semper permanet in conversione: sed constat, quod angelus habens gratiam gratum facientem, non potest non converti ad Deum: conversus semel, non potest aversus esse.“ . . .

[4]) Albertus M., S. p. 2. tr. 4. q. 18. m. 1.

[5]) Praepositivus, Summa. Codex n. 71. Bibl. Tuderti (Italia) fol. 89. v. col. a.

[6]) S. Thomas, II. Sent. d. 4. q. 1. a. 3. in corp.

a) „Augustinus super Genesim ad litteram:[1] »Per caelum intelligitur angelica natura informis«; sed non fuit informis per defectum formae naturalis: ergo informis fuit per defectum formae superadditae naturae. Sed haec est gratia: ergo" a primo instanti suae creationis gratiam sanctificantem non habuerunt.[2]

b) „Gregorius trigesimo secundo Moralium,[3] tractans illud verbum Ezechielis vigesimo octavo: Aurum opus decoris tui, et foramina tua in die, qua conditus es, praeparata sunt: »Huius lapidis in die conditionis suae foramina praeparata sunt, qui videlicet capax caritatis conditus fuit, qua si repleri voluisset, stantibus Angelis, tanquam in ornamento regis positis lapidibus, inhaerere potuisset. Habuit ergo iste lapis foramina, sed per superbiae vitium caritatis auro non sunt repleta«. Ecce, expresse, quod non habuit caritatem." [4]

Ex ratione:

a) „Gratia in Angelo nullum habet retardativum: ergo si haberet gratiam unientem Deo, totaliter Angelus ferretur in Deum: ergo nunquam peccasset. Sed peccavit: ergo nunquam caritatem vel gratiam habuit" [sanctificantem ante lapsum vel conversionem][5].

b) „Sicut se habet culpa ad damnationem aeternam, ita gratia ad gloriam; sed statim ut habuerunt culpam, fuerunt damnati aeternaliter et obstinati: ergo statim ut habuerunt gratiam [sanctificantem], fuerunt confirmati: ergo nunquam ruissent, si gratiam [sanctificantem] habuissent." [6]

Quid ergo habuerunt in illa parva mora? S. Bonaventura ait: statum innocentiae praeternaturalem et gratiam gratis datam, supernaturalem quoad substantiam, quae eis omnibus inserviebat ut praeparatio congrua ad statum gratiae confirmationis seu ad beatitudinem visionis Dei perfectam „et sine qua nemo unquam se praeparat ad gratiam"[7]. Ideo „illa Angelorum conversio, in qua confirmati sunt, non fuit sine gratiae auxilio"[8], quippe „conversio **per obsequium obedientiae gratae** est **ab ipa gratia**[9]". Eorum tamen **iustificatio** in instanti non erat p r i v a t i v a sed n e g a t i v a. Hac enim divisione iustificationis S. Bonaventura hoc vult sibi dicere: „Dicendum, quod iustificationis actus dupliciter intelligitur. **Est enim iustificare de non — iusto facere iustum. Non — iustum** autem **dupliciter accipitur,** scilicet **privative** et **negative. Privative** idem est non — iustum, quod iniustum, et tunc iustificare idem est quod de impio facere pium; et hoc modo non fuit gratia in Angelis ad hunc effectum. Alio modo dicitur non — iustum **negative,** et sic non tantum dicitur non — iustum

---

[1]) Locus citatus August. invenitur l. de Gen. ad lit. c. 1. n. 3; c. 3. n. 7; c. 4. n. 9 et c. 9. n. 17.
[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. fund. 1.
[3]) S. Gregor. XXXII. c. 23. n. 48. — Ezech. 28, 13.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. fund. 2.
[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. fund. 3.
[6]) „ , II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. fund. 4.
[7]) „ , II. Sent. d. 7. p. 1. a. 1. q. 1. in corp. et ibid. d. 28. a. 2. q. 1.
[8]) „ , II. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. in corp.
[9]) „ , II. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. ad 4.

quod habet impietatem, **sed quod non habet iustitiam gratiae; et ab hac iustitia fuerunt opera eorum meritoria**[1]**"**. Nam in angelis, durante illa brevissima mora, in qua positi erant in manu consilii sui, erat **„quaedam rectituto naturae institutae** [sive integrae], et **penes hanc est iustitia originalis**; et **rectitudo gratiae,** et penes hanc est **iustitia meritoria,** quam acceptat iudex summus ad retributionem aeternam"[2]). **Prima est donum praeternaturale**[3]**, secunda vero stricte dictum supernaturale, quam nullo modo per primam mereri poterant**[4]**): „et ideo convenit eam dari, praecedenti aliquo merito congrui**[5]**, et tale est bonum, quod fit extra caritatem; nihilominus tamen cum recta intentione. Et in tale non potest [exire] liberum arbitrium absque munere gratiae gratis datae, per quod illuminetur et dirigatur et excitetur, ut velit facere aliquid, quod sit Deo placitum"**[6]**). Ergo, qnamvis Angeli a primo instanti suae creationis gratiam sanctificantem non habuerint, habuerunt tamen statim in illa parva mora probationis, praeter iustitiam originalem, gratiam gratis datam supernaturalem quoad substantiam, cui si consentirent, ut de facto boni Angeli** consenserunt de congruo se praepararent ad gratiam sanctificantem, qua obtenta eique cooperando: ad Deum se converterent iustificati, merendo de condigno hoc actu vitam aeternam[7]).

Puto: hanc vere esse genuinam litteralemque interpretationem S. Bonaventurae, quae ex propriis eius textibus logice inferri potest. Unde secundum sua principia posita, non discrepat ab eius mente dicere: Angelos esse creatos in iustitia originali cum gratia gratis data, qua ad gratiam confirmationis obtinendam liberi ordinabantur a Deo, durante illa parva mora probationis, a qua dependebat eorum sempiterna mors vel vita. Rursus ex his facile intelligi potest, quare supra, in primo argumento rationis dixit: Angelos ante casum vel conversionem non habuisse gratiam sanctificantem, utpote persistente illa parva mora statim erant praeordinati ad gloriam, si dono gratiae gratis datae respondissent, **quippe per illam poterant instantaneae „tentationi resistere et ad gratiam gratum facientem se ipsos disponere"**[8]**, simulque gloriam mereri**[9]). Adam vero cum „conditus est in corpore animali ad procreandam prolem ad cultum Dei, et ita in dispositione remotiori a

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. ad 1.
[2]) „ „ II. Sent. d. 5. a. 3. q. 1. in corp.
[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 3. q. 1.: **„Si intelligatur de donis gratiae gratis datae . . . ., pro eo quod aliqua dona gratiae gratis datae habuit Adam in statu illo, utpote immortalitatem et impassibilitatem, quae non habuit aliquis posterorum eius".** Ergo certe S. Bonaventura intelligit his terminis: iustitiam originalem fuisse donum Dei praeternaturale.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 5. a. 3. q. 2. in corp.: **„Cum Angelis data sit perfecta gratia, et liberum arbitrium omnino sit cooperatum gratiae, dicunt, quod in sua conversione sufficienter meruerunt glorificationem".**
[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. ad 4. 5.
[6]) „ „ II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.
[7]) „ „ II. Sent. d. 29. a. 2. q. 1.: **„Ipsum habuisse gratuita ante lapsum . . . donum gratiae gratis datae, et per illud poterat tentatione resistere et ad gratiam gratum facientem se ipsum disponere".**
[8]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 2. q. 1. in corp.
[9]) „ „ II. Sent. d. 29. a. 2. q. 1. ad 4.

gloria, datus est locus distans ad merendum a sui conditione, scilicet paradisus terrestris; et praefixus et ei terminus diuturnus propter officium procreandi prolem. Et propterea, cum peccavit angelus, statim exiit tempus meriti et statum, homo vero non; et ideo iste potuit rectificari, ille vero non" [1]).

Ratio horum est: „Decrecit enim divina sapientia in universo facere duplicem creaturam rationalem, ad hoc quod esset universum completum: unam corpori unitam, ut animam rationalem; aliam absolutam et spiritualem, ut Angelum. Et quoniam substantia omnino spiritualis est omnino incorruptibilis et ingenerabilis, non potuit unus Angelus ex altero produci; ideo simul producti sunt; et sicut simul sunt producti, ita etiam simul glorificandi sive dispositi ad simul glorificari. Et quia sunt spirituales et incorruptibiles, nullo modo habentes retardativum; hinc est, quod ... sunt ... de proximo ad gloriam dispositi et ratione naturae et loci. Et ideo tempus meriti est eis ita breve praefixum, sicut potuit, et ideo usque ad primam averionem vel conversionem deliberativam" [2]).

S. Bonaventura omnibus his expositis, pergit ad explicanda, plerumque argumenta Praepositivi[3]), declarantia: Angelos habuisse gratiam sanctificantem a primo instanti suae creationis.

Primo illud Augustini: „Creavit Deus Angelos, simul in eis condens naturam et largiens gratiam" [4]), nec non Damasceni: „Per verbum Dei creati sunt omnes Angeli, et a Spiritu sancto per sanctificationem perfecti" [5]). „Si intelligitur, respondet, **de gratuitis proprie dictis** et ab instanti creationis, **hoc non intelligitur formaliter sive essentialiter** [scil. per gratiam sanctificantem], **sed dispositive** [id est per gratiam proprie dictam gratis datam]; unde dicitur aliquis creatus in aliquo, quia in proxima dispositione ad illud" est[6]).

Deinde concludit, quod „ita per hanc ... viam ad auctoritates inductas et multas alias, quae possent induci, potest breviter responderi" [7]).

Valde ingeniose argumento ad hominem respondet ad dictum insinuatum ab Anselmo: „Ideo homo [sive Angelus] non habet gratiam, non quia Deus non dat, sed quia ipse non recipit"[8]), sed nulla melior praeparatio ad gratiam quam pura innocentia et voluntas recta." [9]) **Liberalitas Dei,** inquit S. Bonaventura: **est salvo ordine sapientiae et iustitiae. Quamvis enim ab instanti creationis cuiuslibet hominis [sive Angeli] posset eum beatificare, tamen longo tempore tardat; similiter, quamvis posset cuilibet parvulo gratiam dare sine baptismate, sicut cum baptismate, tamen non dat. Et ratio huius est,**

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 7. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.
[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 7. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.
[3]) Apud B. Albertum M. S. p. 2. tr. 4. q. 18.
[4]) S. August., XII de Civ. Dei, c. 9. n. 2.
[5]) S. J. Damasc, II. de Fide orthod. c. 3.
[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. ad 1. 2. 3.
[7]) „ , II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. ad 1. 2. 3.
[8]) S. Anselmus, de Casu diaboli, c. 3.; cfr. etiam de Concord. praescientiae Dei cum lib. arb. q. 3. c. 5. seqq.
[9]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. ad opposit. 4.

quia gloria est bonum laudabile; ide non dat nisi per meritum laudabile; et ideo convenit eam dari, praecedenti aliquo merito congrui, [1] **ex munere gratiae gratis datae, per quod illuminetur et dirigatur et excitetur, ut velit facere aliquid, quod sit Deo placitum,** [2] **quod . . . non posset mereri ex his quae acceperat."** [3]

His omnibus absolutis, brevitatis claritatisque causa possumus in fine huius articuli succinctis succosisque verbis totam materiam super tractatam resumere, faciendo quoque quasdam proprias observationes circa utramque sententiam.

In primis diximus, quod S. Bonaventura docet: unum esse Creatorem omnium, cuius maiestati et sapientiae repugnat originaliter creare quamcumque creaturam in se malam, praesertim angelum et primum hominem; ideoque cum malum in hunc mundum advenisse constat, venit per liberum arbitrium deficiens a regula moris, quam Creator ei in creatione indiderat. Porro, ut Aristoteles observat, cum **„inter mutationes contrarias de necessitate sit quies media",** [4] **impossibile erat, quod Angelus sive primus homo in primo instanti suae creationis cum primo actu liberi arbitrii se averteret a suo Creatore, utpote actum electionis „antecedit deliberatio et praecognitio plurium",** [5] **tum „propter simplicitatem intellectus angelici, quia una conversione totus capitur intellectus ab uno obiecto, ita quod impossibilis est in illo instanti conversio ad aliud obiectum."** [6] Unde statuendum est, quod inter creationem et casum Angelorum brevissima mora persistebat.

Hugo a S. Victore e contra docuit [7] inter creationem et casum Angelorum nullam existisse moram, sed eius sequaces suam sententiam exagerantes ansam praebuerunt, quod damnata erat communi consilio magistrorum ab episcopo Pariensi (1240). [8]

Stabilita existentia inter creationem et casum Angelorum brevissimae morae, S. Bonaventura prosequitur explicando, quod Anpeli a Deo in iustitia originale sine malo culpae et poenae creati sint. Non solum hoc, sed etiam innocentes, impassibiles atque beati erant beatitudine praeternaturali: id est Deum cognoscebant per speculum seu similitudinem Dei in eorum essentia impressam et relucentem, simulque omnes alias res scitu corum possibiles per species a Creatore sibi inditas universales. Super omnia Deum amaverunt; amaverunt etiam seipsos.

In his fere nullus illo tempore inter doctores dissensus viguisse constat.

---

1) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. ad 4. 5.
2) „ , II. Sent. d. 28. a. 2. q. 3. in corp.
3) „ , II. Sent. d. 4. a. 1. p. 2. ad 6.
4) „ , II. Sent d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. fund. 6.; Aristot., VIII. Phys. text. 62 et 71. (c. 7 et 2); Ed. Acad. R. Borus., 7. 261 b. 20 et 21.
5) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad 3.
6) „ , II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2. ad 3.
7) Hugo a S. Victore, S. Sent. tr. 2. c. 3.
8) S. Bonaventura, II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in fine.; D' Argentré, Coll. iudic. etc. t. 1. p. 186 seq.

Cum orta sit nova quaestio, utrum Angeli statim a Deo creati essent in statu gratiae sanctificantis, doctores inter se divisi sunt, dum scilicet una pars affirmabat, altera vero negabat.

S. Bonaventura secutus est partem negantium, quippe eorum auctoritas illa aetate praevalebat; tomen ex proprio marte melius illustravit atque perfecit, si fas est dicere, sententiam Hugonis a S. Victore, Petri Lombardi et Alexandri Halensis, **dicens, cum Angeli statim a Deo ordinati sint ad visionem Dei beatificam post illam brevissimam moram probationis, sed cum non habuerint nisi dona praeternaturalia, illam mereri non poterant ex his quae acceperunt[1]), ideoque dedit eis Deus statim post creationem naturae, antequam ad ullum actum exierunt, gratiam gratis datam seu actualem supernaturalem quoad substantiam, cui, persistente illa brevissima mora probationis, si consentirent, Deus infundit in instanti gratiam sanctificantem, quae liberum arbitrium eorum libere motus, eique simul cooperando, conversum est ad Deum iustificantem illos et hoc actu „sufficienter meruerunt glorificationem".[2]) Angelis autem apostatis, cum primae gratiae actuali non consenserunt, sed eam reiecerunt, Deus non dedit gratiam sanctificantem, ideo committendo peccatum superbiae, meruerunt a Deo reprobari.**

Credo, quod haec sit genuina sententia S. Bonaventurae, quae valde ingeniosa, complicataque apparet. E contra sententia Praepositivi et S. Thomae magis est simplex et facilius intellectu. Ecclesia utramque sustineri permittit, quia, ut notum est, doncilium Tridentinum, [Sess. V. can. 1.], hanc controversiam Scholasticorum, agendo de statu primi hominis, noluisse decidere, consulto statuens: **„Sanctitatem et iustitiam, in qua constitutus** fuerat", **(loco conditus erat).**

Articulus II. De necessitate gratiae ante peccatum protoparentum.

S. Bonaventura, agens de statu naturae integrae, totum problema resolvit reccurrendo ad sapientiam Dei. — Cur Deus, cum praeviderit, quod Lucifer peccaturus et lapsurus erat, non respondendo primae gratiae actuali, praefixit ei ita modicum tempus merendi, ut non haberet spatium redeundi persistente illa brevissima mora probationis? et quare peccatum protoparentum remissibile erat?

Notandum est ad hanc duplicem interrogationem, ut animadvertit ipse S. Doctor **„quo in conditione rerum non attenditur ratio misericordiae et iustitiae [Dei] principaliter, sed sapientiae".**[3]) „Decuit Deum sic res producere, ut manifestaretur eius sapientia; sed sapientia artificis manifestatur in ordinis perfectione, omnis autem ordo habet de necessitate infimum et summum et medium. Si ergo infimum est natura pure corporalis, summum natura spiritualis, medium

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 4. a. 1. q. 2. ad 6.: „Quamvis enim [Angelus] non posset mereri ex his quae acceperat".
[2]) S. Bonaventnra, II. Sent. d. 5. a. 3. q. 2. in corp.
[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 7. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.

composita ex utraque; nisi haec omnia fecisset, non ostenderetur perfecte Dei sapientia: oportuit igitur haec omnia fieri. Unde Augustinus duodecimo Confessionum[1]): »Duo fecisti Domine, unum prope te et aliud prope nihil[2])«.

Etenim cum divina sapientia decrevit: „in universo facere duplicem creaturam rationalem, ad hoc quod esset universum completum: unam corpori unitam, ut animam rationalem; aliam absolutam et spiritualem, ut Angelum. Et quoniam substantia omnino spiritualis est omnino incorruptibilis et ingenerabilis, **non potuit unus Angelus ex altero produci, ideo simul productia sunt; et sicut simul sunt producti, ita etiam simul glorificandi sive dispositi ad simul glorificari** . . . . Ideo tempus meriti est eis ita breve praefixum, sicut potuit, et ideo usque ad primam aversionem vel conversionem. — Homini vero, quia conditus est in corpore animali ad procreandam prolem ad cultum Dei, et ita in dispositione remotiori a gloria, datus est locus distans ad merendum a sui conditione, scilicet paradisus terrestris; et praefixus est ei terminus diuturnus propter officium procreandi prolem. Et propterea, cum peccavit angelus, statim exiit tempus meriti **et statum**, homo vero non: et ideo iste potuit rectificari, ille vero non.[3])"

Proinde, his stabilitis, concludit, quod primum peccatum Angeli irremissibile erat, non vero hominis ob triplicem rationem divinae sapientiae, quae ad unam completam atque peremptoriam reduci possunt. **„Remissibile"** namque fuit, dicit S. Bonaventura, **peccatum primi hominis, quia erat in carne mortalis [per se], in voluntate vertibilis, in transgressione excusabilis**[4])".

a) Erat **in carne mortalis, (praescindendo pro momento a dono immortalitatis), quod favebat eius remissibilitati**: „Potuit enim divina iustitia severitatem et aequitatem sui iudicii in homine exercere praeter aeternam damnationem in hoc, quod hominem peccatorem morti tradidit et hominis innocentis mortem pro satisfactione suscepit, ut sic exercereter in homine severitatis vindicta pro culpa perpetrata, ut quemadmodum homo voluntarie peccando Deum deseruerat et se ipsum morte culpae occiderat, sic spiritus invitus desereret corpus, **et mors exigatur in poena**, sicut commissa fuerat in culpa. Angelus autem per naturam immortalis erat nec mori poterat nisi morte aeterna; et ideo non erat alia via exercendi in ipsam iustitiae severitatem nisi per mortem damnationis aeternae. Et **sic carnis mortalitas multum facit ad hoc, quod peccatum hominis esset remissibile.**"[5])

b) Erat **in voluntate vertibilis**, quod multum ad remissibilitatem culpae conferebat: „Homo conditus est in vertibilitate arbitrii, quae non tantum debebat esse in eo ad momentum [sicut in Angelo], sed etiam ad tempus diuturum, quia longo tempore debebat esse viator;

---

[1]) S. August., XII. Conf. c. 7. n. 7.
[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 1. p. 2. a. 1. q. 2. fund 2.
[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 7. p. 1. a. 1. q. 1. in corp.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 21. a. 3. q. 2. in corp.
[5]) „ , II. Sent. d. 21. a. 3. q. 2. in corp.

hinc est, quod sicut **gratia adveniens** eius voluntati non abstulit vertibilitatem ad malum, sic culpa superveniens non abstulit **potentiam** revertendi ad bonum; et sicut potuit transgredi, ita potuit conteri, et sicut per culpam pervenit ad iram divinam, sic per poenitentiam rediit ad gratiam. Hoc autem angelus non habuit, propter brevitatem spatii merendi, post quod voluntas eius vertibilitatem habere non poterat.[1])"

c) **Excusabilitas** etiam in culpa multum decidebat ad peccati hominis remissibilitatem: „Quia enim alio suggerente cecidit, dignum fuit, per alium sublevari; et ideo competebat sibi **mediatorem** habere. Et quia lapsus non potest resurgere sine manu sublevante, et inimicus non potest reconciliari sine mediatore interveniente; hinc est, quod peccatum hominis remissibile fuit, non peccatum angeli: quia homo, qui per alium cecidit, alium debuit habere adiutorem et relevatorem; angelus vero non, quia cecidit per semetipsum[2])."

Sed Adam, antequam peccavit, habibat **dona praeternaturalia innocentiae** et **supernaturalia stricte dicta superaddita naturalibus.**

S. Bonaventura in primis his verbis describit eius vitam: „In statu primae conditionis tenenda sunt haec secundum doctrinam fidei orthodoxae, videlicet quod corpus primi hominis sic conditum fuit et **de limo terrae**[3]) formatum, ut tamen esset animae **subiectum** et suo modo **proportionabiie, proportionabile,**[4]) inquam, quantum **ad complexionem aequalem,** quantum ad **organizationem pulcherrimam et multiformem** et quantum **ad rectitudinem staturae; subiectum** autem, ut esset **obtemperans sine rebellione,** esset etiam **propagans et propagabile sine libidine,**[5]) esset **vegetabile sine defectione,** esset etiam **immutabile ad omnimodam incorruptionem,**[6]) non interveniente morte; et secundum hoc datus est sici **locus paradisi terrestris** in habitationem tranquillam.

Formata est **mulier** de latere viri[7]) in consortium et adiutorium ad propagationem immaculatam; datum est etiam **lignum vitae**[8]) ad vegetationem continuam et tandem ad immutationem perfectam per immortalitatem perpetuam.[9])"

Quamvis **de facto natura pura** numquam existerit, S. Bonaventura **distinguens** inter **dona naturalia, praeternaturalia** et **supernaturalia** indirecte eius possibilitatem non negat, immo ex eius doctrina sponte sequitur.

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 21. a. 3. q. 2. in corp.
[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 21. a. 3. q. 2. in corp.
[3]) „ , Brevil., p. 2. c. 10; sed alludit ad Gen. 2, 7.
[4]) „ , II. Sent. d. 17 a. 2. q. 1—3. agit fuse de formatione corporis primi hominis eiusque proportionalitate.
[5]) S. Bonaventura, II. d. 20. per totam abundanter de propagatione in statu innocentiae disputat.
[6]) S. Bonaventura, II. Sent, d. 19. a. 2. q. 1. quaestionem de immortalitate corporis Adae ulterius resolvit.
[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 18. a. 1. q. 1. analysim fecundam praebet de modo productionis corporis mulieris de latere viri.
[8]) S. Bonaventura, II. Sent d. 19. a. 2. q. 2. effectus esus ligni vitae [Gen. 2. 9: describit.
[9]) S. Bonaventura, Brevil. p. 2. c. 10.

Nam **Deus largiens** primo homini **naturalia**: „fecit eum ex naturis maxime distantibus, coniunctis in unam personam et naturam; cuiusmodi sund corpus et anima, quorum unum est substantia corporea, alterum vero, scilicet anima, est substantia spiritualis et incorporea; quae in genere substantiae maxime distant,[1])“ et **cum his libere productis suam potentiam manifestavit.**

Rursus **Deus praestans simul cum naturalibus** primo homini **praeternaturalia** maxime suam **sapientiam** declaravit, quippe tale corpus ei dedit, „ut **proportionem** sua modo haberet ad animam. Quoniam ergo corpus unitur animae ut **perfecienti** et **moventi** et **ad beatitudinem sursum tendenti**; ideo, ut conformaretur animate **vivificanti**, habuit **complexionem** aequalem non a pondere, vel mole, **sed ab aequalitate naturalis iustitiae**, quae disponit ad nobilissimum modum vitae. — Ut autem conformaretur moventi **per multiformitatem potentiarum**, habuit **multiformitatem organorum** cum summa venustate et artificiositate et ductibilitate . . . — Ut autem conformaretur animae **sursum tendenti** ad caelum, habuit **rectitudinem staturae** et **caput sursum erectum**; ut sic corporalis rectitudo mentali rectitudini attestaretur . . . Cum enim **primum principium** simul sit **optimum** et **iustissimum**; quia **optimum**, non debuit facere hominem nisi bonum, ac per hoc innocentem et rectum[2]); quia **iustissimum**, poenam non debuit infligere ei qui nullum omnino habebat peccatum[3]): ac per hoc tale corpus constituit illi animae rationali, quod ita sibi esset obtemperans, ut nulla esset in eo pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio vigoris, nulla corruptio mortis; ita etiam esset animae **conforme**, ut, sicut anima erat innocens, et tamen poterat cadere in culpam, sic corpus esset impassibile, et tamen posset cadere in poenam; et ideo **«poterat non mori, et poterat mori**[4])»; poterat habere sufficientiam, et poterat habere indigentiam; poterat animae obtemperare, et poterat etiam adversus eam rebellionem et pugnam habere[5])“.

„Et propterea in statu illo corpus erat tale, ut ab eo fieret **decisio seminalis** ad propagationem prolis per adminiculum sexus muliebris pariter comprincipiantis; fieret etiam humoris nutrimentalis consumtio per actionem caloris; fieret etiam nihilominus restauratio per alimentum lignorum paradisi, restaurato per lignum vitae, seu praeservato **humido radicali**; quod quidem lignum hanc virtutem habuit, ob quam, ut dicit Augustinus[6]), fuit non solum in cibum, verum etiam in Sacramentum.

---

[1]) S. Bonaventura, Brevil. p. 2. c. 10.

[2]) „ „, Brevil. p. 2. c. 10., sed alludit ad Eccle. 7, 30: „Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum“.

[3]) S. Bonaventura, Brevil. p. 2. c. 10. respicit illud August., III. de Gratia et lib. arb. c. 18, n. 51.: „Omnis autem poena, si iusta est, peccati poena est“ etc.

[4]) S. Bonaventura, Brevil. p. 2. c. 10; August., VI. de Gen. ad lit. c, 25. n. 36.

[5]) „ „, Brevil. p. 2. c. 10.

[6]) S. Bonaventura, Brevil. p. 2. c. 10; August., VIII. de Gen. ad lit. c. 4. n. 8.: „Erat ei ergo in lignis ceteris alimentum, in illo autem Sacramentum.“ Cfr. XIII. de Cic. Dei, c. 20; VI. Op. imperf. c. Julian. c. 30.

Incorruptio igitur et **immortalitas** corporis Adae principaliter veniebat **ab anima** sicut a **continente** et **influente**, a corporis bona et aequali **complexione** sicut a **disponente** et **suscipiente**, **a ligno** autem **vitae** sicut a **vegetante** et **adminiculante**, a **regimine vero divinae providentiae** sicut **interius conservante** et exterius **protegente**,[1]) sed a **gratia habebat completionem**[2])".

In illo statu Adae datus est: „**duplex sensus**, scilicet interior et exterior mentis et carnis: quia **primum principium** fecit mundum, istum sensibilem ad declarandum se ipsum, videlicet ad hoc, quod per illum tamquam **per speculum** et **vestigium** reduceretur homo in Deum artificem amandum et laudandum. Et secundum hoc duplex est **liber**, unus scilicet scriptus **intus**, qui est aeterna Dei ars et sapientia; et alius sciptus **foris**, mundus scilicet sensibilis. Cum igitur esset una creatura, quae sensum habebat intus ad cognitionem libri interioris, ut angelus; et alia, quae totum sensum habebat foris, ut quodlibet animal brutum: ad perfectionem universitatis debuit fieri creatura, quae hoc sensu duplici esset praedita ad cognitionem libri scripti intus et foris, id est Sapientiae et sui operis[3])." Proinde „**cognitio status innocentiae media est inter cognitionem status gloriae et status miseriae**, sicut etiam locus paradisi medius est inter hanc vallem miseriae et patriam caelestem; et quemadmodum paradisus terrestris plus se tenet cum terra quam cum caelo, sic cognitio Adae, sive status innocentiae plus conformis est cognitioni status praesentis quam futuri. Unde **in solo statu gloriae** videbitur Deus **immediate** et in sua substantia, ita quod nulla erit ibi obscuritas. In statu vero **innocentiae** et **naturae lapsae** videtur Deus **mediante speculo**; sed **differenter**, quia in statu innocentiae videbatur Deus per speculum **clarum**; nulla enim erat in anima peccati nebula. In statu vero miseriae videtur per speculum **obscuratum** per peccatum primi hominis[4])".

Adam »ab exordio omnium rerum plenam notitiam[5])« accepit. „Proficere tamen potuisset quantum ad **alium modum cognoscendi**, et quantum **ad maiorem habitum sciendi** . . .: quia quod noverat simplici **notitia** cognoscere poterat **experientia**; et quod noverat **intellectu** cognoscere poterat et **sensu**. — Proficere etiam poterat quantum **ad maioren habilitationem**, quia ex frequenti consideratione eorum quae noverat, promptior fuisset et paratior ad iudicandum de his rebus, quarum habebat cognitionem **per habitum innatum**[6])".

Si igitur Adam stetisset, nulla fuisset in eo **deceptio nec ab intrinseco nec ab extrinseco**, quamvis in eo potuerit esse aliqua **nescientia**: „sicut secreta alienae conscientae et futura contingentia" etc.[7])

---

[1]) S. Bonaventura, Brevil. p. 2. c. 10.
[2]) „ , II. Sent. d. 19. a. 3. q. 1. in corp.
[3]) „ , Brev. 2. c. 11.
[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 23. a. 2. q. 3. in corp.
[5]) „ , II. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. in corp. sed citat P. Lomb. II. Sent. d. 23. c. 3.
[6]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 23. a. 2. q. 1. in corp.
[7]) „ , II. Sent. d. 23. a. 2. q. 2. in corp.

Supra diximus, quod **di ivna sapientia** largiens Adae dona praeternaturalia dedit ei duplicem **sensum**[1]) sive potentiam cognitivam externam, quae per sensus cognoscit res et internam, quae ex statu naturae integrae eius scatebat, sed „cuilibet **sensui**, ut ipse Doctor advertit, respondet **motus**, ideo **duplex** datus est homini **motus**: unus secundum instinctum **rationis** in mente, alius secundum instinctum **sensualitatis** in carne[2]). Primi est **imperare**, secundi est **obtemperare**, secundum rectum ordinem . . .

Et quia cuilibet **motui et sensui** respondet **appetitus ad aliquod bonum**, ideo praeparatum est homini **duplex** bonum: «unum visibile, alterum invisibile; unum temporale, aliud aeternum; unum carni, alterum spiritui. Ex his bonis Deus unum dedit, alterum promisit, ut unum gratis possideretur, alterum per meritum quaereretur» [3])".

„Et quia frustra datur bonum, nisi custodiatur; frustra promittitur, nisi ad ipsum perveniatur: ideo **duplex** datum est homini **praeceptum: unum naturae**[4]): „Crescite et multiplicamini[5]) ad custodiendum bonum datum, **alterum disciplinae**: «De ligno scientiae boni et mali ne comedas[6]) »ad promerendum bonum promissum, quod nullo modo melius poterat mereri quam **per meram obedientiam. Obedientia autem mera est, quando praeceptum ex se solo obligat, non ex aliqua alia causa**; et tale dicitur praeceptum disciplinae, quia per ipsum discitur, quanta sit virtus obedientiae; quae suo merito ducit ad caelum, suo vero contrario praecipitat in infernum. Non ergo datum est illud mandatum homini propter indigentiam aliquam, quam Deus haberet de humano obsequio; sed ad dandam viam merendi coronam per meram et voluntariam obedientiam[7])".

„Et quoniam homo **ratione naturae** defectivae, ex nihilo formatae nec **per gloriam** confirmatae poterat cadere; **benignissimus Deus quadruplex** ei contulit **adiutorium: duplex naturae** et **duplex gratiae.** Duplicem enim indidit rectitudinem ipsi **naturae**:[8]) unam ad recte iudicandum, et haec est **rectitudo conscientiae**; aliam ad recte volendum, et haec est **synderesis,** cuius est remurmurare contra malum et stimulare ad bonum. Duplicem etiam superaddidit perfectionem **gratiae: unam gratiae gratis datae...**; aliam gratiae **gratum facientis**"[9]) et cum his duobus ultimis gratuitis donis manifeste suam **bonitatem** clarificavit.

---

[1]) S. Bonaventura, **Brevil. p. 2. c. 11. magnum influxum in his subiit ab Hug. a S. Victore, cfr. de Sacram. p. 6. c. 5—10. ubi etiam eius terminologiam minus philosophicam et Aristotelicam conservavit** [Migne, P. L. T. 176, col. 256—59].

[2]) „ , Brevil. p. 2. c. 11.

[3]) „ , Brevil. p. 2. c. 11; Hugo a S. Vict., I. de Sacram. p. 6. c. 6. sed textus originalis amplior est. [Migne, P. L. T. 176. col. 267—268].

[4]) S. Bonaventura, Brevil., p. 2. c. 11.

[5]) „ , Brevil., p. 2. c. 11; Gen. 1, 28.

[6]) „ , Brevil., p. 2. c. 11; Gen. 2, 17.

[7]) „ , Brevil., p. 2. c. 11; sed fusius cfr. II. Sent. d. 17. dub. 5. et August., VIII. de Gen. ad lit. c. 6. n. 12.

[8]) S. Bonaventura, Brevil., p. 2. c. 11., sed ex professo agit, vide II. Sent. d 39 per totam.

[9]) S. Bonaventura, Brevil., p. 2. c. 11.

Sed quandonam **bonitas divina** infunderit utramque gratiam primo homini? Utrum homo simul creatus sit in naturalibus, praeternaturalibus et supernaturalibus, an paululum postea iustificatus sit? Habueritne ante lapsum gratiam sanctificantem?

S. Bonaventura de hac re **duas sententias** affert, quarum **prima** est Praepositivi et **S. Thomae** affirmantium, quod primus statim in gratia gratum faciente creatus sit.

S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2.:

„Quidam namque dicere voluerunt, quod homo fuerit creatus non solum in naturalibus, verum etiam in gratuitis, tum propter Dei **liberalitatem,** tum etiam propter hominis **idoneitatem.**"

Praepositivus Summa. Codex n. 71. Bibliothecae Tuderti (Italia) fol. 92. v. col. a.: Q.

„Utrum homini simul collata fuerint naturalia et gratuita, an primo naturalia et postea gratuita . . . . .

Sed b. Anselmus, Cantuariensis episcopus, dixit quod homo numquam fuit sine gratuitis [col. b.] ante peccatum, **quod nobis verisimilius videtur.** Sic et de Angelis b. Gregorius dicit, quod simul in eis condidit naturalia et largitus est gratuita . . ."

S. Thomas, II. Sent. d. 29. p. 1. (unica) a. 2.:

„Homo in principio creationis suae in gratia creatus est: et haec quidem positio satis congruere videtur opinioni Augustini, qui ponit res simul tempore perfectas fuisse, et creatas in materia et forma", [S. 1. q. 95. a. 1.] et „quod videtur requirere ipsa rectitudo primi status, in qua Deus hominem fecit, secundum illud: Deus fecit hominem rectum [Eccle. 7, 30]. Erat enim haec rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus. Prima autem subiectio erat causa et secundae, et tertiae . . . Manifestum est autem, quod illa subiectio corporis ad animam, et inferiorum virium ad rationam non erat naturalis; alioquin post peccatum mansisset."

Re vera iuxta oppositam sententiam non erat naturalis, sed praeternaturalis.

Altera vero sententia est Hugonis a S. Victore[1]), Petri Lombardi[2]), Alexandri Halensis[3]), Alberti Magni[4]), S. Bonaventurae[5]), Petri Tarantasii[6]) et Scoti[7]) negantium: primum hominem statim cum naturalibus et praeternaturalibus in gratia sanctificante a Deo creatum esse, ut apertius manifestaretur **maiestas sapientiae, decor bonitatis** et **ordo iustitiae divinae, prout infra** singulatim patebit.

S. Bonaventura enim contrariam sententiam primae sic statuit [II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2.]: „Sed. quoniam Sanctorum auctoritates videntur sonare contrarium, ideo est alia **opinio communior et probabilior,** quod

---

[1]) Hugo a S. Vict., Summa Sent. tr. 3. c. 7.
[2]) P. Lombardus, II. Sent. d. 24. c. 1.
[3]) Alex. Halens, S. p. 2. q. 90. m. 1.
[4]) B. Albertus M., S. p. 2. tr. 14. q. 90. m. 1. 3.
[5]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2.
[6]) P. Tarantasius, II. Sent. d. 29. q. 1. a. 2.
[7]) Scotus, II. Sent. d. 29. q. unica. n. 7.; Report. d. 29. q. 2.

homo prius tempore habuit naturalia, quam haberet gratuita. Unde secundum hanc opinionem in statu innocentiae distinguuntur duo tempora: quoddam enim fuit tempus, in quo habuit tantum naturalia; quoddam vero, in quo habuit et naturalia et gratuita".

Per se intelligitur, quod S. Bonaventura hoc loco sumit terminum: naturalia in oppositione ad gratuita, sed naturalia dona erant simul cum praeternaturalibus sive iustitia originali, ut supra vidimus: ergo ad rite intelligendum eum potius est sensu expositioneque eius inniti, quam terminologia, quia dum ille etiam et alii defendentes sententiam eius loguunter de statu innocentine, nuncupantur eum termino **„naturali", quoniam natura primi hominis cum eo et in eo creata est, non quasi ille status primaevus ei fuit debitus et pure naturalis.** Unde **ipse Doctor clare dicit: „Locus paradisi medius est inter hanc vallem miseriae et patriam caelestem et . . . paradisus terrestris plus se tenet cum terra quam cum coelo . . ., sive status innocentiae plus conformis est cognitioni status praesentis quam futuri".** [II. Sent. d. 23. a. 2. q. 2. in corp.]. Ex his oritur, quod conceptus S. Bonaventurae de iustitia originali apprime convenit cum doctrina Ecclesiae catholicae.

„**Ratio** autem, quare Dominus voluit post naturam dare gratiam, cum posset dare simul, inquit, sumitur ex triplici ordine . . . **sapientiae, bonitatis et iustitiae. Hugo a S. Victore** enim hac forma sententiam S. Bonaventurae primitus instituit: „Nunc restat inquirere quam gratiam homo ante peccatum habuit, et utrum per eam potuit stare an non. Ad quod videndum est, quod sine apposita gratia proficere non poterat, sicut et de angelis diximus; sed non declinare ab eo, quod acceperat per gratiam sibi in creatione collatam poterat. Aliud enim est facere bonum, aliud declinare a malo. Per illud adiutorium gratiae, quod acceperat in creatione, poterat declinare a malo; sed sine super apposita gratia non poterat ipse facere bonum [meritorium] . . . In hoc quod a malo declinando bonum diligeret, ad quod egebat gratia cooperante. Ad illud vero primum [scil. ad vitandum peccatum] sufficiebat adiutorium creatricis gratiae. Habebat enim homo ante peccatum ex libero arbitrio et ex illo adiutorio gratiae, posse non peccare, id est vitare malum; sed ut diximus, egebat gratia cooperante ad bonum perficiendum. Post lapsum vero non solum cooperante, sed etiam gratiae operante eget. Operans gratia facit a peccatis resurgere; facit etiam velle bonum. Cooperans gratia volenti cooperatur, ut bonum faciat. Sed ante lapsum non egebat nisi cooperante; nondum enim ceciderat, et ideo non egebat gratia per quam surgeret, sed ea sola per quam proficeret. Post lapsum vero operans praecedit, quae movet et excitat cor." [S. Sent. tr. 3. c. 7; Migne, P. L. T. 176. col. 98—69].

a) **Ordo sapientiae** hoc requirebat, ut sicut esse naturale, sic in diversis temporibus homini conferretur; et sicut elementa mundi prius tempore sunt creata et distincta quam ornata, propter ordinem sapientiae commendandum; sic etiam fieret circa hominem, qui est **minor mundus.**

b) **Ordini etiam bonitatis** hoc competebat; hoc enim ordine dicitur aliquid ordinare in suum finem. Tunc igitur gratia homini

ordinate datur, quando datur ei, secundum quod est utilior et fructuosior, quando pro ea Deo gratiores existimus; et ideo sic debuit dari, ut ex ipso ordine dandi cognosceretur, donum illud esse gratuitum; **et propterea non fuit a creatione indita, sed naturae iam perfectae et constitutae fuit superinfusa.**

c) **Ordo etiam iustitiae** hoc reguirebat; Deus enim secundum legem communem requirit aliquam praeparationem et dispositionem a parte nostra ad hoc, quod infundat alicui gratiam, sive in eo, cui infundit, ut in adulto, sive in alio adiuvante, secundum quod contingit in parvulo. Et ideo gratia non fuit homini concreata, sed dilata fuit, quousque homo per actum et usum rationis quodam modo se disponeret ad illam suscipiendam, ut sic verificaretur illud Augustini [Serm. 169. c. 11. n. 13] in primo homine: «Qui creavit te sine te, non iustificat te sine te»" [S. Bonav. II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2. in corp.].

Petrus Lombardus autem hoc modo sententiam Hugonis a S. Victore perpolivit: „Nunc diligenter investigari oportet, quam gratiam vel potentiam habuerit homo ante casum, et utrum per eam potuerit stare, vel non, — Sciendum est igitur, quod homini in creatione, sicut de Angelis diximus, datum est per gratiam auxilium, et collata est potentia, per quam poterat stare, id est non declinare ab eo, quod acceperat; sed non poterat proficere in tántum, ut per gratiam creationis sine alia mereri salutem valeret. Poterat quidem per illud auxilium gratiae creationis resistere malo sed non perficere bonum. Poterat tamen per illud bene vivere sine peccato; sed non poterat sine alio gratiae adiutorio spiritualiter vivere, quo vitam meretur aeternam" [L. II. Sent. d. 24. c. 1].

Sententiam Alex. Halensis superfluum est hic referre, utpote quasi ad litteram convenit cum illa Bonaventurae supra allata. [Vide S. p. 2. q. 90. m. 1. a. 1.]

Nec multum ab eis difert **B. Albertus M.**: „Dederat enim ei [scil. Adae] Deus, unde posset stare, non unde ad meritum posset proficere. Et huius assignari solent tres causae: quia scilicet in hoc **relucet omnipotentia** Greatoris, **sapientia** et **bonitas: omnipotentia, in creatione naturae; sapientia, in ordinatione eius ad gratiam, et utriusque** ad gloriam; bonitas, in hoc quod perfecit naturam per gratiam gratum facientem **gradatim.**" [S. p. 2. tr. 14. q. 90.]

Petrus a Tarantasio quidem sequitur in hac quaestione suum intimum amicum Bonaventuram, nam expresse dicit: „Quidam dixerunt, quod tam angelus quam homo in gratia conditus fuit. Quod non videtur, quoniam Augustinus expresse dicit, quod homo habuit a creatione, unde stare, non unde pedem movere potuit. Hinc alii probabilius dicunt, quod nec angelus, nec homo, a principio suae creationis habuit gratiam; sed creatus, in primo suae voluntariae conversionis actu ad Deum, gratiam accepit. Gratia quippe quum sit in anima tanquam in subiecto voluntario, non naturali, voluntariam dispositionem requirit." [II. Sent. d. 29. q. 1. a. 2.]

Quandonam igitur Adam a Deo elevatus est **ad ordinem supernaturalem?**

S. Bonaventura respondet: **„Adam ante lapsum gratiam gratum facientem habuit, per quam non solum malo resistere, sed etiam in bono proficere potuit; et illa gratia adiutus, ita bene meruisset mandatum domini observando, sicut demeruit transgrediendo**[1]**).“**

Ex his verbis clare patet, quod S. Bonaventura, perficiendo correxit sententiam Hugonis a S. Victore opinantis Adam ante lapsum non habuisse gratiam gratum facientem[2]).

Potueritne, sicut idem Hugo a. S. Victore putavit[3]), ad gratiam gratum facientem se disponere et eam merito congrii mereri cum sola **gratia creationis,** quae data est a Deo Adae ad conservationem naturae integrae? S. Bonaventura **negat hoc,** quippe gratia creationis Adae a Deo collata erat ad conservationem naturae integrae, quae intermedia erat inter statum naturae lapsae et naturae elevatae per gratiam gratum facientem. Unde aperte contra Hugonem a S. Victore hanc **propositionem** statuit: **„Homo indigebat gratia operante et cooperante secundum statum naturae institutae [sive integrae], licet non secundum omnem modum gratiae operantis**[4]**).“** Quam propositionem sequentibus munit rationibus:

In **statu** namque **naturae institutae** [sive integrae] **necessaria erat gratia,** tum propter conditionem **retribuentis,** tum etiam propter conditionem **retributionis.**

a) Propter conditionem **retribuentis:** quoniam ipse Deus bonorum nostrorum non indiget[5]); ideo nec acceptat hominem propter opera, nec aliquod meritum obligare potest ipsum secundum rationem **dati et accepti;** ideo ad hoc, quod aliquod bonum opus creaturae suae ad remunerandum Deo complaceat, necesse est, quod ipsius **gratuitae bonitatis influentia in operante praecedat,** per quam creatura ipsi Creatori grata existat.

b) Similiter propter conditionem **retributionis** impossibile erat, liberum arbitrium mereri sine auxilio gratiae gratum facientis, pro eo quod illud praemium, quod meremur, est beatitudo aeterna. Beatitudo autem aeterna consistit in habendo eum, qui est omne et summum bonum, et qui est super omnem naturam exaltatus et lucem habitat inaccessibilem[6]); et ideo impossibile est, quod homo merendo ad illud summum bonum ascendat et perveniat, nisi per aliquod adiutorium, quod sit ultra naturam[7]).“

His duabus rationibus declarata est prima pars propositionis, in

[1]) S. Bonaveniura, II. Sent. d. 29. a. q 1. in corp.

[2]) Hugo a. S. Victore, S. Sent. tr. 3. c. 7.: „Habebat enim homo ante paccatum ex libero arbitrio et ex illo adiutorio gratiae [creationis], posse non peccare, id est vitare malum; sed ut diximus, egebat gratia cooperante [sive gratum faciente] ad bonum perficiendum“. [Migne, P. 2. T. 176. col. 90].

[3]) Hugo a S. Victore, S. Sent. tr. 3. c. 7.: „Operans gratia facit a peccatis surgere; facit etiam velle bonum. Cooperans gratia volenti cooperatur, ut bonum faciat. Sed ante lapsum non egebat nisi cooperante; nondum enim ceciderat, et ideo non egebat gratia per quam surgeret, sed ea sola per quam proficeret“. [Migae, P. L. T. 176. col. 99].

[4]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 1. q. 2. in corp.

[5]) Alluditur ad Ps. 15, 2.

[6]) Respicitur 1. Tim. 6, 16.

[7]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 1. q. 2. in corp.

qua S. Bonaventura probavit, quod etiam primus homo constitutus in iustitia originali indigebat gratia operante sive actuali et cooperante sive, habituali, ut se converteret ad Deum; tamen in altera parte propositionis aliquod insinuit, (sub his verbis: „licet non secundum omnem modum gratiae operantis"), quo quaedam maior necessitas tum gratiae operantis, quam cooperantis in statu naturae lapsae designatur; nam hoc sensu superaddit: „In statu vero **naturae lapsae** non solummodo [homo] indiget gratia ad merendum propter has conditiones, [supra allatas], sed etiam propter conditionem **operantis** et **operationis meritoriae.**

a) **Operans** enim in statu naturae lapsae semper est in peccato et Dei adversarius et inimicus, nisi a peccato relevetur per gratiae donum; et ideo, quidquid faciat, nisi voluntas eius praeveniatur a gratia, quae Deo reconciliet, nihil meretur merito condigni, pro eo quod Dei est adversarius et inimicus. Deus autem opera non acceptat, nisi prius acceptet personam, sicut innuitur genesis quarto: Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius[1])."

b) „Propter **conditionem** etiam **operationis** necessaria est gratia, quia nulla est operatio meritoria nisi recta; et nulla est recta, nisi fiat ex recta intentione; et nulla potest esse recta intentio, nisi quae bonum summum omni bono praeponit. Nulla autem intentio potest hoc facere in statu naturae lapsae sine dono gratiae. Et propterea, qualemcumque vel quantamcumque faciat homo operationem absque gratia, non meretur, quia non pensat Deus **quantum**, sed **ex quanto** hoc faciat[2])."

Ex his omnibus ipse Doctor concludit: „Quod multiplex est necessitas gratiae ad merendum, scilicet propter conditiones retribuentis et retributionis, operantis et bonae operationis, ita quod haec quadruplex necessitas concurrit ad statum naturae lapsae, et duplex ad statum institutae [sive integrae][3])," aliis verbis homo persistens in statu iustitiae originalis erat innocens et sine culpa, ideoque maior ei competebat **aptitudo**[4]) ad gratiam actualem sive habitualem, quam in statu naturae lapsae, quippe in hoc statu utraque gratia ex parte subiecti ut subiecti obicem invenit, unde maior earum necessitas apparet.

Sed quo tempore Deus **primam gratiam** homini in statu innocentiae contulit? S. Bonaventura respondet, cum de facto Deus statim ab aeterno hominem proposuerit ad ordinem supernaturalem elevare et cum creavit eum in statu aetatis viri perfecti et valde habilis, **in ipso actu creationis dedit gratiam actualem sive operantem**[5]), **cui**

---

1) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 1. q. 2.: Gen. 4, 4.
2) „ , II. Sent. d. 29. a. 1. q. 2.
3) „ , II. Sent. d. 29. a. 1. q. 2.
4) „ , II. Sent. d. 19. a. 3. q. 1.: „Secundum autem quod importat dispositionem sufficientem, per quam quis pervenit ad beatitudinem, sive sufficientem sed per gratiam, per quam sufficienter disponitur ad gloriam, nec sine illa potest sufficere natura.

5) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2. ad 2. 3.: „. . . Non quia Deus statim, ut hominem condidit, virtute [supernaturali] vestiverit et ornaverit, **sed quia tunc dispositum fecerit, et non longo post tempore complevit"**.

postquam suum consensum praestitit, meruit de congruo „non longo post tempore“[1] infusionem gratiae sanctificantis sive cooperantis vel gratum facientis.

Adam persistens brevissimo tempore in tali statu praeparationis ad gratiam sanctificantem, inveniebatur, secundum placita S. Bonaventurae, in statu innocentiae **privative**[2] sumptae, quae designat statum beatitudinis praeternaturalis sine malo culpae et poenae; postquam vero primae gratiae respondit et de congruo a Deo infusionem gratiae sanctificantis meruit accepitque: **status innocentiae positive sumptae accessit,** qui proprie constituit: **iustitiam originalem**[3] **meritoriam.**

His praemissis, S. Bonaventura comparat dona gratiae gratis datae et gratum facientis naturae integrae ad lapsam: „Si intelligatur de **donis gratiae gratis datae,** sic se habent sicut excedentia et excessa, pro eo quod aliqua dona gratiae gratis datae habuit Adam in statu illo, utpote immortalitatem et impassibilitatem, quae non habuit aliquis posterorum eius; et aliqua dona gratiae gratis datae habent posteri sui, quae ipse non habuit, sicut est gratia sanitatum et operatio virtutum et genera linquarum et consimilia[4] — Ratio autem huius diversitatis provenit ex hoc, quod alia dona expediebant illi tempori, et alia competunt isti.

Si autem loquamur de donis gratiae gratum facientis, sic, quia illa dona connexionem habent quantum ad **habitus** et quantum ad **actus,** qui perfectionis sunt; sic concedendum est, quod in aequali multitudine fuerunt in primo homine, in qua reperiuntur in eius posteritate . . . Quantum vero ad actus, qui habent imperfectionem annexam, non contingebat virtutes secundum statum illum in Adam ponere[5].“

His positis atque discussis, credo, quod, quid S. Bonaventura de statu protoparentum ante peccatum originale docuerit, qualemque partem gratia apud illos habuerit, sufficienter legenti patebit; nihilominus, ut hoc adhuc manifestius fiat, conspectus generalis rerum peractarum referrendus est.

Initio huius articuli dictum est, a S. Bonaventura totam quaestionem de iustitia originali resolvi praecipue reccurrendo **ad sapientiam divinam,** quae ab aeterno decrevit duas creaturas rationales in tempore creare: unam scilicet pure spiritualem, ut angelum, alteram vero compositam ex anima et corpore. Prima creatura pure spiritualis, cum statim a Dei sapientia ordinata sit, post brevissimam moram probationis, si primae gratiae supernaturali consensisset, ad visionem Dei beatificam, tempus meriti breviter explicuit, dum autem homini

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2. ad 2. 3.

[2]) , , II. Sent. d. 19. a. 3. q. 1. ad 3.: **„Innocentia dupliciter potest** dici: uno modo **privative,** quia ponit iustitiam contrariam“.

[3]) S. Bonaventura hanc divisionem innocentiae elaboravit influxu divisionis S. Anselmi: iustitiae originalis in originalem et personalem, v. de Conceptu virg. c. 1.

[4]) Alluditur ad 1. Cor. 12, 9 seq.

[5]) S. Bonaventura, d. 29. a. 3. q. 1. in corp.; cfr. Alex. Hal., S. p. 2. q. 91. m. 2. a. 2. § 2. et August., XIV. de Trin. c. 9. n. 12.

longius remansit. Homo enim, qui minus perfectus erat angelo atque a divina sapientia destinatus procreare prolem ad cultum Dei augendum, transgrediendo mandatum Dei, coram Deo **remissibilitatem** peccati invenit, quia primo, iustitia Dei severitatem et aequitatem sui iudicii exercere poterat in homine infligendo **corpori poenam mortis**; secundo, quia homo privatus iustitia originali viator in naturalibus remansit, cui Deus largitus est **potentiam** ad eum se convertendi **per gratiam advenientem et subsequentem,** ideoque ei pepercit; tertio, plus excusabilis erat quam angelus, quia **invida suggestione** daemonis peccavit.

Attamen Adam, ante peccatum originale, in statu praeternaturali innocentiae creatus erat, sicut et angeli. Habebat enim dona naturalia, scilicet animam immortalem et corpus, quibus statim a Deo concreata est **integritas originalis, constituens statum innocentiae, nempe impassibilitatem, immortalitatem, nec non gratiam actualem, cui Adam consentiens de congruo se disposuit ad infusionem gratiae sanctificantis, cuiusque motui cooperando meruit de condigno a Deo ad ordinem supernaturalem elevari.**

Talis ordo novus cum donis naturalibus, praeternaturalibus et supernaturalibus, secundum S. Bonaventuram constituebat **iustitiam originalem meritoriam; aliter absque gratia sanctificante, quae erat complementum donorum naturalium et praeternaturalium persistebat sic dicta iustitia originalis simplex et incompleta.**

Deus proinde, creans **naturam** primi hominis, suam **potentiam** monstravit; **praestans** ei simul **statum innocentiae** praeternaturalem suam **sapientiam** declaravit, **largiens gratiam** suam **bonitatem** manifestavit, **elevans ad ordinem supernaturalem — exigendo ab omni adulto sive in statu naturae integrae sive in statu naturae lapsae: consensum primae gratiae et cooperationem secundae**[1] **patefecit suam iustitiam** iuxta illud Augustini: „Qui ergo fecit te sine te, non te iustificat sine te[2]".

S. Thomas in S. 1. q. 95. a. 1. ad 5. hoc modo ad trutinam revocat hoc argumentum S. Bonaventurae: „Cum motus voluntatis non sit continuus, nihil prohibet etiam in primo instanti suae creationis primum hominem gratiae consensisse." Cfr. etiam hoc loco omnia responsa S. Thomae ad opposita cum fundamentis S. Bonaventurae in II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2.

Postea Adam et Eva viventes in tali statu iustitiae originalis meritoriae, illusi incitamento diaboli, transgressi sunt mandatum Domini et hoc peratco meruerunt spoliari praeternaturalibus et supernaturalibus atque in ipsis naturalibus vulnerari[3].

---

[1]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2. fund. 4.: „Per gratiam fit matrimonium inter Deum et animam; sed lex matrimonii est, ut non fiat absque mutuo consensu: ergo videtur, nulli adulto gratia debeat dari, nisi praecedat consensus". Cf. etiam II. Sent. d. 29. a 1. q. 1. in corp.

[2]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 29. a. 2. q. 2. in corp.: S. August., Serm. 169. c. 11. n. 13.

[3]) S. Bonaventura, II. Sent. d. 30. a. 1. q. 2. in corp.

Haec est in substantia doctrina S. Bonaventurae pertinens ad rem propositam in articulo huius quaestionis, quam et alii magni scholastici aureae aetatis, ut supra narravimus, sub forma plus minusque perfecta tenuerunt.

Haec sententia, quae antiquitus in scholis praevalebat, mihi quoque magis placet propter rationes a S. Bonaventura supra allatas illâ S. Thomae.

Epilogus.

Conclusiones.

Supra in introductione depingendo characterem doctrinae S. Bonaventurae, quomodo laudatus Doctor se gerebat erga S. Scripturam, SS. Patres, Magistros et Philosophos, invenimus:

1° quod ipse S. Doctor noluit novum proprium systema fundare, sed communem et approbatam doctrinam SS. Patrum et Magistrorum retexere, novis augere et perficere;

2° quod exponendo talem doctrinam in quaestionibus dubiis et difficilioribus ille eligebat sibi communiorem sententiam minime damnans contrariam;

3° inveniendo se coram opinionibus extreme oppositis ipse media via gradiebatar, data opera, si fas erat, aliquando adhibens inter illas methodum compositionis;

4° quod ubi videbat aliquem proponetem doctrinam falsam ut veram, ne amore hominis veritati fieret praeiudicium, talem doctrinam, servata prius ad personam debita reverentía, nominatim vel tacito nomine damnabat.

Quam sollerter autem ille scivit haec a se generalia principia proposita, scribendo de gratia et libero arbitrio, ad rem expedire, supra in corpore dissertationis singulatim pertractatum est, nunc vero remanet, ut in hoc loco de talibus solummodo quaedam principaliora et generaliora puncta afferamus, quibus magis proxime veritas vel non veritas fidelitatis a S. Bonaventura promissae manifestari potest.

1° S. Bonaventura explicans generalem conceptum de gratia et libero arbitrio, quem ex doctrina S. Scripturae, Conciliorum et SS. Patrum praesertim Augustini, Bernardi et Anselmi absumpsit, proprium systema non fundavit, sed veterem, communem et approbatam doctrinam retexuit, novis auxit et perfecit, sicut sequentia effata manifestabunt. Hoc modo tamen agendo non meruit nomen simplicis compilatoris, sed re vera gravis et competentis auctoris. Nam interpretans venerandae antiquitatis notionem gratiae sive actualis sive habitualis, eam magis magisve ampliavit, locupletavit novisque argumentis praesertim ex ratione explicavit.

Cum Petrus Lombardus gratiam cum caritate et caritatem cum persona Spiritus sancti identificaverit, ipse contra eum se elevans validis argumentis probavit existentiam gratiae in individuis ut doni creati, quae realiter difert a persona Spiritus sancti necnon caritate.

Item inquirens in quonam consistat natura intima gratiae in genere, forti probatione ostendit illam esse accidens spirituale, quod non est virtus gratuita sicut Isidorus Hispalensis putavit, nec habitus supernaturalis, eo sensu quo Praepositivus, Alexander Halensis et B.

Albertus Magnus illum exposuerunt, quasi esset principium assiduae et continuae operationis semper in actu, sed est **forma, quae est radix omnium habituum supernaturalium, principium constitutivum participationis divinae naturae, causa formalis nostrae gratificationis, prima qualitas, quae in nobis efficit quemdam novum modum vivendi cum Deo.**

Etiam in divisione et definitione gratiae suos praedecessores claritate et praecisione superavit.

In definitione liberi arbitrii Augustinum sequitur recedens paululum ab illa aristotelica S. Thomae.

E contra sententiae Alexandri Halensis et B. Alberti Magni affirmantium liberum arbitrium proprie sumptum esse potentiam specialem realiter distinctam a ratione et voluntate, rationibus insufficientibus ductus ut minus rectis non adhaesit.

In notionem „liberi" profunde penetrat illamque tum perspicaci analysi tum evidentibus factis adductis determinismo Averrois eiusque asseclarum latinorum Sigeri Brabantiae et Boëtii Daci dilucide opponens.

A Petro Lombardo olim dubitante, in quaestione de motione divina, an omnis actio sive substrata peccato sive non, secundum id quod est actio, sit a Deo, plane recessit dicendo dubium post multam discussionem ad manifestationem ductum esse.

Praeterea valde naturaliter et apprime rationi consono modo exponit motum liberi arbitrii a gratia sive actuali sive habituali, docens, liberum arbitrium a tali gratia adiutum et informatum, excellentius se ipsum movere, magis liberum esse et minus deficere, quia gratia illud non cogit sed perficiendo disponit sub ratione moventis, ut se ipsum liberius atque perfectius moveat.

De origine gratiae in nobis per Verbum incarnatum tractans, methodus eius propria in illo consistit, quod **gratiam in ordine generationis** potius quam **in ordine perfectionis** considerat.

Huic sequentia puncta doctrinae, expositioni eius originalitatem imprimunt:

1° ut logice concludat infusionem gratiae gratum facientis fieri in animam mediante libero arbitrio;

2° respectu habito ad justificationem, quae formaliter per gratiam gratum facientem in instanti fiat, ut in eadem solummodo tria elementa consideret, scilicet a) quod productio gratiae gratum facientis a Deo prius se habet prioritate naturae ad principium a quo procedit, quam ad subiectum quod informat; b) quod ipsius gratiae gratum facientis infusio in animam prioritate naturae praecedit expulsionem culpae gravis; c) quod ipsa expulsio culpae gravis formaliter per gratiam gratum facientem a Deo praecedit prioritate naturae gratificationem completam subiecti;

3° in quaestione de merito, ut augmentum ipsius dicat per accessum ad summum fieri, quia dicit, quod solus Deus potest conferre praemium substantiale producendo maius accidens-esse gratiae gratum facientis in nobis; homines vero per varias bonas operationes possunt praemium accidentale mereri.

S. Thomas econtra, qui praefert considerare gratiam gratum facientem in ordine perfectionis naturae humanae, in justificatione quatuor elementa distinguit: gratiae scilicet infusionem, motum liberi arbitrii in Deum per fidem, motum liberi arbitrii in peccatum et remissionem culpae. Et in quaestione de merito dicit, consequenter sibi, augmentum eiusdem fieri cum maiori radicatione gratiae gratum facientis et caritatis in subiecto.

S. Banaventura etiam eamdem doctrinam admittit, cum secundum hunc ordinem considerationis gratiam accipit, nihilominus prior modus ei praeplacet.

Istae conclusiones multum conferunt ad cognoscendum, quomodo S. Bonaventura ut verus et gravis auctor veterem, communem et approbatam doctrinam de gratia et libero arbitrio ampliavit, locupletavit et novis argumentis declarationibusque ex philosophia aristotelico-christiana perpolivit.

2º. Exponens eamdem doctrinam in quaestionibus dubiis et difficilioribus ille re vera ubique elegit communiorem sententiam, ut securior fiat, minime damnans contrariam. Ad hoc confirmandum invenimus exemplum supra cum quaestio erat [pars III. c. unicum. a. 1 et 2.] an angeli et protoparentes statim in gratia gratum faciente a Deo creati sint? S. Doctor respondet, qnod utrumque possumus opinari propter rationem congruitatis, nihilominus cum maior pars Magistrorum sui temporis docuerit angelos et protoparentes non statim in gratia gratum faciente creatos esse, elegit hanc opinionem simulque eam perfecit, minime reprobando aliam Praepositivi et S. Thomae.

3º. S. Bonaventuram legimus [pars II. c. 1. a. 2.] etiam tertiam regulam supra allatam applicasse. Inquirens, an essentia liberi arbitrii consistat in habitu vel potentia, et S. Bernardum stantem pro habitu et S. Thomam pro potentia inveniens, conatus est utramque sententiam componere, addens verbum „habitus“, quo S. Bernardus usus est, non ita stricte ac aristotelico sensu accipiendum esse, sed tantum pro „habitudine“ quadam. Nec ipse S. Thomas huic explicationi sensum vocabuli et notionis „habitus“ restringenti, omnem valorem denegavit.

4º. Ultimam denique regulam a S. Doctore in pluribus locis huius dissertationis reperimus esse adhibitam. Nam

a) expressis verbis non praetermisso nomine damnavit sententiam Petri Lombardi negantis gratiam esse aliquid creatum in nobis;
b) item cum tacito nomine opinionem Hugonis a S. Victore affirmantis inter creationem et lapsum angelorum nullam brevem moram extitisse;
c) similiter sententiam Anselmi docentis liberum arbitrium in statu naturae lapsae nulli tentationi posse resistere absque auxilio gratiae.

Ex his expositis clare patet characterem generalem doctrinae S. Bonaventurae, supra in introductione assignatum, omni parti huius dissertationis adaequate respondere.

A. Fontes:

Doctoris seraphici S. Bonaventurae etc. Opera omnia edita studio et cura PP. Collegii a. S. Bonaventura Tomi I—X; Ad Claras Aquas 1882—1902.

Inter praecipuos locos, in quibus S. Bonaventurae doctrina de gratia et libero arbitrio occurrit, notatu sunt digni sequentes:

II. Sent. d. 3. p. 2. a. 1. q. 1. — d. 5. a. 3. q. 2; d. 25. p. 1. a. unico. q. 1. — d. 29. a. 3. q. 2;

III. Sent. d. 12. a. 2. q. 1 et 2; d. 13. a. 1. q. 1. — a. 2. q. 2.; d. 17. a. 1. q. 1—3; d. 18. a. 1. q. 1. — a. 2. q. 3; d. 36. a. unicus. q. 1. 5 et 6;

IV. Sent. d. 1. p. 1. a. unicus. q. 6;

Brevil. pars II. c. 6—12; pars V. c. 1—10; pars VI. c. 1.

Collationes de septem donis Sqiritus sancti, Collatio I. (t. V., 457—461).

B. Manuscriptus auxiliaris e XIII. saeculo collatus:

Praepositivi Summa. Codex n. 71. Bibliothecae Conventus S. Fortunati Tuderti, quae nunc est municipii Tudertini.

C. Dissertationes adhibitae:

Jeiler, S. Bonaventurae principia de concursu Dei generali ad actiones causarum secundarum; Ad Claras Aquas 1887.

Dörholt, Der hl. Bonaventura und die thomist.-molinistische Controverse. [Jahrbuch für Philosophie und spekulative Theologie. Paderborn 1897—1898.]

Il Breviloquium super Libros Sententiarum [S. Bonaventurae] di frate Gherardo da Prato pubblicato dal P. Marcellino da Civezza; Prato 1880. La grazia di Gesù Christo p. 615—678.

D. Litteratura et praesidia doctrinae:

A Vicetia Ant. M. et a Rubino Joannes, Lexicon Bonaventurianum philosophico-theologicum; Venetiis 1880.

A Castrophanio Ludovicus, Seraphicus Doctor S. Bonaventura in oecumenicis cath. Ecclesiae conciliis; Romae 1874.

A Fanna Fidelis, Seraphici Doctoris Bonaventurae doctrina de Romani Pontificis primatu et infallibilitate; Taurini 1870.

— Ratio novae collectionis operum S. Bonaventurae; Taurini 1874.

Archivum franciscanum historicum a. V. t. V. 1912. De Relatione scriptorum quorumdam S. Bonaventurae ad Bullam „Exiit" Nicolai III. (1279), 3—21.

A Coriolano Franciscus (Longus), Summa theologiae ad instar S. D. Thomae ex operibus D. Bonaventurae compacta variisque annotationibus illustrata, Romae 1622, typis Vaticanis et sumtibus Camerae Apost.

A Baudunio Marcus, Paradisus theologicus etc.; Lugduni apud Joannem Molin 1663.

A Barberiis Bartholomaeus, Cursus theologicus ad mentem Seraph. Doct. Bonaventurae in 2 tomos distributus; Lugduni, sumtibus Francisci Comba 1687, in fol. Parisiis; Tabula sev index generalis in opera omnia S. Bonav.; ibid.

Idem scripsit cursum philosophicum ad mentem S. Bonav. sub titulo: Flores et fructus Seraphici ex Seraphico paradiso excerpti; Lugduni, sumtibus Laurentii Arnaud etc. 1677.

— Glossa seu Summa, ex omnibus S. Bonaventurae expositionibus in sacram Scripturam exacte collecta et secundum ordinem biblicum concinnata; ibidem 1681, 4 tomi in fol.

A Bruxellis Franciscus M., Theologia Seraphica; Gandavi 1715, 4 tomi in quarto.

Annaniensis Juvenalis, Solis intelligentiae lumen indeficiens seu immediatum Dei ut entis summi internum magisterium, editio altera; Parisiis 1878; Augustae Vind. in 4. 1686.

Annales de Philosophie Chrétienne, De S. Bonaventure à Duns Scott, décembre 1910.

Boying P. Remigius, St. Bonaventura und der Grundgedanke der Disputa Raffaels. [Franziskanische Studien 1914. I. Jahrg. Heft I., 1—17.]

Buchberger Michael, Die Wirkungen des Bußsakramentes; Freiburg, Herder-Verlag 1901.

Baroni Alexandro, Meditazioni, Amore e scienza, ossia la mente serafica del glorioso dottore S. Bonaventura da Bagnorea. Vol. I. sezione I.; Firenze, tipographia Cenniniana, 1894.

Bacon Royer Essays Contributed by variovs writers on the occasion of the commemoration of the seventh centenary of his Birth. Collected and edited by A. G. Little; Oxford 1914, p. 55—88.

Bulifer (Brulever) Stephanus, Reportata in IV. libros S. Bonaventurae, Primum librum Commentarii elucidavit Moguntiae 1490, deinde brevius II., III. et IV. Metis.

Baur Dr. Ludwig, Die Lehre vom Naturrecht bei Bonaventura. [Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters von Clemens Baeumker. Supplementband. Münster i. W. 1913. (Aschendorffsche Verlagsbuchhandlung) p. 217—239.]

Brams C., Der hl. Bonaventura als Mystiker. [Katholik; Mainz 1887, II. p. 39—92; 183—197; 301—318.].

Božitković Dr. Fr. J., Uvod u mistiku po načelima sv. Bonaventure, [Naša misao. Br. 2. str. 31—33; Br. 3. str. 41—45; Br. 4—5, str. 61—67; Br. 6. str. 97—99. Sarajevo 1917.].

Ballea L. C., Il misticismo di S. Bonaventura studiato nelle sue antecedenze e nelle esplicazioni; Torino 1901.

Borgognoni, Le dottrine filosofiche di S. Bonaventura; Roma 1874.

Borgognoni, S. Bonaventura e il suo metodo secondo la mente di Aristotele; Seinza Ital., 1882, VII et VIII.

Baroni, La scuola franciscane guidata dal suo serafico dottore S. Bonaventura; Firenze 1886.

Bisogno, S. Bonaventura e Dante; Milano 1899.

Berthaumier, Le livre des âmes pieuses, tiré des Oeuvres spirituelles de S. Bonaventure; Paris, Vivès, 1855.

Canali, Oratio super characteribus doctrinae Bonaventurianae; Placentiae 1887.

Capuleus Petrus Cortonensis, Commentarius in I. et II. Sent. D. Bonaventurae; Venetiis 1622., 2 Vol. in fol.

Casanova Fr. Gabriel, Cursus philosophicus ad mentem D. Bonaventurae et Scoti. 3. Vol. Matriti 1894.

Conailhac, Doctrina de ideis divi Thomae divique Bonaventurae conciliatrix; Parisiis 1897 apud Lecoffre.

Carney, Le séraphin de la terre ou le prêtre, recueil de divers opuscules de S. Bonaventure sur la dignité et les devoirs du sacerdoce; Lyon, Périsse frères, 1841,

De Wulf M., La dottrina della pluralità delle forme nell' antica scuola scolestica del XIII secolo. [Rivista di filosofia neo-scolastica, A. I. W. 3., 13 luglio 1909, 442—460; Firenze, Via del Corso 3.]

— Histoire de la philosophie médiévale. Éd. 4. Louvain-Paris 1912, p. 372—380.

De Saint Béat, Évangeliste, S. Bonaventura scholae franciscanae magister praecellens; Fornaci 1888.

De Saint Béat Évangeliste, Le Séraphin d' école; Paris 1900. Oeuvre de S. François, Rue de la Santé, 5.

De Asculo Fr. Felix Gabriel, Theologicae disputationes de fide, spe et charitate ad mentem D. Bonaventurae et Scoti; Romae, typis Ignatii Lazari, 1656.

De Parma P. Aloisius, Scholastica, Doctor Seraphicus et schola Franciscana; Parmae, typis Rossi-Ubaldi, 1886.

— Oratio super characteribus doctrinae Bonaventurianae; Placentiae, typis episcopalibus Josephi Tedeschi, 1887.

De Augustinis Bonifacius, Theologia S. Bonaventurae in summam redacta; Romae apud Corbelletum 1696, in fol.

De Temesvar Pelbartus, Rosarium iuxta quatuor Sent. libros quadripartitum ex doctrina Doctoris subtilis. D. Thomae, D. Bonaventurae aliorumque Doctorum, Quartum librum post mortem Pelbarti supplevit Fr. Oswalus a Lasco; Venetiis 1586.

De Niisse Nicolaus, In IV libros Sententiarum opus; Venetiis 1574.

De Tudeschis Nicolaus, In II. Sent. S. Bonaventurae; Venetiis 1477.

Da Civezza Marcellino, Della vera filosofia e delle dottrine del serafico dottore S. Bonaventura; Genova 1574.

Da Salerno Francesco M., Della poesia nei serafico dottore S. Bonaventura; Genova 1874.

De humanae cognitionis ratione; anecdota quaedam S. Bonaventurae et nonnplorum ipsius discipulorum; Ad Claras Aquas 1883.

De Martigné Prosper, La scolastique et les traditions franciscaines; Amiens 1886; Paris 1888. p. 77—153.

Deleau C., Doctrine De S. Bonaventure sur la connaissance de Dieu et sur l' ontologisme [Rev. Sciences Ecclés., 1870, c. II., 251—295.].

Ehrle Franz, Beiträge zur Geschichte der mittelalterlichen Scholastik. II. Der Augustinismus und der Aristotelismus in der Scholastik gegen Ende des 13. Jahrhunderts. [Archiv für Literatur und Kirchengeschichte des Mittelalters B. V. (Freiburg i. Br. 1889. Herder-Verlag.) 605 seqq.]

— Lehrstuhl des hl. Bonaventura in Paris (1248—1257). [Zeitschrift f. Kat. Theologie p. 40. seqq.; Innsbruck 1883].

— S. Bonaventurae Opera, t. I. [Zeitschrift für kath. Theol. H. II. 413. 1883.]

— Die neue Schule des hl. Bonaventura. [Stimmen aus Maria-Laah 1883. Bd. 2., 15—29.]

— Ueber den Kampf des Augustinismus und Aristotelismus im 13. Jahrhundert. [Zeitschrift für kath. Theol. 1889, 172 seqq.]

— Der Kampf um die Lehre des hl. Thomas von Aquin in den ersten 50 Jahren nach seinem Tode. [Zeitschrift für kath. Theol. 1913, 266 seq.]

— Das Studium der Handschriften der mittelalterlichen Scholastik mit besonderer Berücksichtigung der Schule des hl. Bonaventura. [Zeitschrift für kath. Theol. VII. (1883) 1—51.]

Eberle J., Die Ideenlehre Bonaventuras. Dissert. Straßburg 1911.

Études franciscaines, t. VIII. N. 45, 1902. t. VIII. N. 46, 1902. 47, 1902. } La possibilité ou impossibilité du monde eternel, p. 249—268, p. 348—372, p. 510—528.

Études franciscaines, t. XXIX. N. 174., 1912, p. 561—569. Études franciscaines, t. XXX. N. 175, 1913, p. 1—16. Études franciscaines, t. XXX. N. 176—177, 1913, p. 113—123. Études franciscaines. t. XXX. N. 179, 1913, p. 449—462. } L'idée de création d'après S. Bonaventure et Duns-Scot.

Fessler J. A., Bonaventuras mystische Nächte oder Leben und Meinungen desselben, in 8°; Berlin 1807.

Facin, Dissertatio de studio Bonaventuriano; Ad Claras Aquas 1902.

Felder, Geschichte der wissenschaftlichen Studien im Franziskanerorden bis um die Mitte des 13. Jahrhunderts; Freiburg i. Br. 1904, p. 215—227.

Ferchius (Ferkić) Matthaeus, De Angelis tractatus theologicus ad mentem D. Bonaventurae. Patavii 1658, in quarto.

Foresti Theodorus, Paraphrases, commentaria et disputationes iuxta mentem D. Bonaventurae de alma et sanctissima Trinitate; Romae apud Jacobum Mascardum 1633 in fol.

Gaudentius (Bontempi), Brixiensis, Palladium theologicum, seu theologia scholastica ad mentem D. Bonaventurae; Lugduni, sumtibus Laurentii Arnandi, P. Bordet etc., 1667, 7 tomi in fol.

Gabrielli Petrus, Disputationes de praedestinatione et reprobatione ad mentem S. Bonaventurae et Scoti; Romae 1653.

Gallitius Antonius, Summa totius philosophiae Aristotelicae ad mentem S. Bonaventurae; Romae 1635.

Guttmann J., Die Scholastik des 13. Jahrhunderts in ihren Beziehungen zum Judentum, Breslau 1902. q. 138 seqq.

Gerson Joannes, De examinatione doctrinarum, t. I. col. 21 seq.; Edit. Antverp. 1706.

— Epistola missa Lugdun. ad quemdam Minoritam an. 1426; Ed. Antverp. 1706, t. I. col. 119.

Giannini Frediano, Studii sulla scuola franziscana; Sienna 1895.

Goedert P., S. Bonaventure, lectures spirituelles sur la vie de N. S. J. Christ; Paris H. Audin, 1901.

Hurter, Nomenclator, t. II² col. 320—329.

Hollenberg Dr. W. A., Bonaventura als Dogmatiker [Studien und Kritiken 1868. H. I., 95—130. Gsellius'sche Buchhandlung].

Histoire littéraire de la France, t. XIX. p. 267 seqq,

Hauzeur Matthias, Collatio totius theologiae inter maiores nostros Fr. Alexandrum Halensem etc., S. Bonaventuram, etc., Fr. Joannem Duns-Scotum; Namurcae 1646—1652, 2 tomi in fol.

Henno Fr. Franciscus, Theologia dogm. moral. et scholastica; t. II. Venetiis 1768, sumptibus haeredis Nicolai Pezzana, p. 522—774.

Hauréau, Histoire de la philosophie scolastique, in 8. Paris 1872 (t. II., 218—228).

Holzapfel Dr. H., Mannale Hist. Ordinis FF. Minorum latine redditum a P. Gallo Haselbeck; Friburgi Br. 1909.

Jallonghi Ernesto, J. Ritmi latini di S. Bonaventura; Roma 1915. Desclée. e C. Editori, in 8.

Joseph J., Philosophisehe Studien zu Bonaventura; Berlin 1909.

Krause Jos., Lehre des hl. Bonaventura über die Natur der körperlichen und geistlichen Wesen; Paderborn 1888.; Commentatio philosoqhica

— quomodo S. Bonaventura mundum non esse aeternum, sed tempore ortum demonstraverit; Progr. Braunsbergae 1909;

— S. Bonaventura in doctrina de rerum naturalium origine S. Augustinum secutum esse; Braunsbergae 1894.

Künzle Dr., Bonaventura und die moderne Aesthetik. [Schweizerische Rundschau 1906/07, Heft III., 197 seqq.]

Limbourg Max. Die Prädestinationslehre des hl. Bonaventura. [Zeitschrift für kath. Theol. Innsbruck 1892, H. IV., 581 seqq.]

Lutz Dr. E., Die Aesthetik Bonaventuras. [Beiträge zur Geschichte der Philosophie des

Mittelalters von Clemens Baeumker. Supplementband. Münster i. W. 1913. Aschendorffsche Verlagsbuchhandlung. p. 195—215.]

— Die Psychologie Bonaventuras. [Beiträge zur Geschichte der Philosophie des Mittelalters. VI., 4—5.; Münster 1909.

Lingonensis Bonaventura, Bonaventura Bonaventurae, scil. Bonav. et Thomas, sive Summa theologica ex omnibus SS. Thomae et Bonaventurae placitis concinnata; Lugduni, sumtibus Laurentii Annisson, 1653—1673, 3 tomi in fol.

Lepidi Albertus, Examen philosophico-theologicum de ontologismo; Lovanii, Fonteyn, 1874.

Le Roux François. Traités spirituels tirés de S. Bonaventure pour l'instruction des religieux; Paris, E. Conturat 1693, vol. 2. in 12.

Margerie, Essai sur la philosophie de S, Bonaventure; Paris 1855.

Menaisson, La connaissance de Dieu chez S. Bonaventure. [Revue de philosophie, 1910 juillet et août.]

Ortoleva da Mistretta P. Giambattista, S. Bonaventura e il secondo Concilio di Lione; Roma, tipografia poliglotta della S. C. di Propag. fide, 1874.

Ozanam, Dante ou la philosophie catholique au XIIIe siècle; Paris 1872. in 8.

Palhoriés F., Dieu dans la philosophie de St. Bonaventure. [Rivista di filosofia neo-scolastica. A. IV. N. 5., 20. Ottobre 1912. p. 562—589.]

— La théorie de l'Intelligence chez saint Bonaventure. [Revue des sciences philosophiques. A. VI. N. 3., 20. Juillet 1912. p. 465—489.]

— La teoria de la inteligencia según S. Buenventura. [Estudios Franciscanos; Barcelona 1912., I. 209—217; 445— 454.]

— Saint Bonaventure; Paris 1913., I—VI + 1—378. Bloud 7. Place Saint-Sulpice.

Portalié E., Augustinisme. [Dictionaire de Théologie catholique, t. I. Paris 1903, col. 2503—2506.]

Regiensis Marcellus, Summa seraphica etc. Massiliae apud Carolum Brebion et Joannem Penot, 1669, 2 tomi in fol.

Richard, Étude sur le mysticisme speculatif de saint Bonaventure. Paris 1873.

Rossi Joannes, Disputationes selectae de potentia obedientiali creaturarum erga creatorem ad normam doctrinae S. Bonaventurae; Romae 1652, 2 vol. in fol.

Rosati, L'eloquenza christiana in S. Bonaventura; Firenze 1903.

Simar Dr., Die Lehre vom Wesen des Gewissens in der Scholastik des dreizehnten Jahrhunderts, in 8.; Freiburg i. Br. Herder Verlag 1885. Erster Teil: Die Franziskanerschule.

Stateczny, Compendium historiae philosophiae; Romae 1898, p. 312 passim.

Sorrento, S. Bonaventura e la sua dottrina; Napoli 1890.

Schwane Dr. Joseph, Dogmengeschichte der mittleren Zeit; Freiburg i. Br. 1882. 2. B. § 452—455. (Herder Verlag.)

Scheeben, Handbuch der Dogmatik, I. Band. I. Buch n. 1052, 431—432. (Freiburg i. Br. 1873.)

Schatzgerus G., libr. 18 De via illuminativa, fol. 325; Ed. Ingolstad. 1543.

Turner S. T. D., Storia della filosofia, traduzione dall' inglese di G. Oliosi etc.; Verona 1906, p. 296—301.

Tempesti Casimirus Liborius, S. Bonaventura etc. Mystica theologia, 2 tomi; Venetiis 1748.

Trigosus Petrus, Summa theologiae S. Bonaventurae; Lugduni 1616.

Talamo Salvatore, L'aristotelismo della scolastica; Ed. 3., Sienna 1881.

Ubaghs, De mente S. Bonaventurae circa modum, quo Deus ab homine cognoscitur; Lovanii 1860.

Ueberweg—Heinze, Geschichte der Philosophie, II. B., 285—287; Berlin 1905 Aufl. 9.

Vorilongus (alias Vurrilonis, Vorlion), In quatuor libros Sententiarum iuxta doctrinam S. Bonaventurae et Scoti; Venetiis 1496 et 1519.

Vives, Summula Commentariorum seraph. Doct. Bonaventurae; Romae 1905.

Villa-Nova, S. Bonaventura und das Papsttum; Bregenz 1902.

Van Loo, Specimen doctrinae* . . . ad mentem S. Bonaventurae; Lovanii 1856.

Werner, Die Psychologie und Erkenntnißlehre des Johannes Bonaventura. Sitzungsberichte der Philosophisch-historischen Klasse der Kaiserlichen Akademie der Wissenschaften, 82. Band, Jahrgang 1876, Heft III., Wien 1876, p. 107—174.

Wagner F., Der Begriff des Guten und Bösen nach Thomas von Aquin und Bonaventura. [Jahrbuch f. Theol. und spekul. Philosophie, 1913, 55—81.]

Zorzoli, La questione di S. Bonaventura, De cognitionis humanae supremae ratione, commendata e difesa: Torino 1900.

Ziesche K., Die Lehre von Materie und Form. [Philosophisches Jahrbuch der Görresges., Bd. 13., 1900]; Die Naturlehre; Fulda 1908 in 8; Verstand und Wille beim Glaubensakt: Eine spek. hist. Studie aus der Scholastik im Anschlusse an Bonaventura; Paderborn 1909.

Zamorra Joannes M., Tractatus sive Commentarii theologici, in quibus omnes controversias inter S. Thomam, S. Bonaventuram et Scotum componere nititur; Venetiis apud Jacobum Sarzina 1626, tn fol.

Zigliara, Oeuvres philosophiques, 3 vol. Lyon, Vitte et Perrussel, 1880. Vol. II. et III.: De la lumière intellectuelle et de l' ontologisme, suivant la doctrine de S. Augustin, S. Bonaventure, etc.

E. Bibliographia:

Acta Sanctorum mensis Julii, die 14. Ed. Antv., t. III., 776—822: Vita S. Bonaventurae auctore Petro Galesino.

A Buscomari Isidorus, S. Bonaventura O. F. M. Minister generalis; Romae 1874.

Analecta Franciscana, t. III., 1—574.; 693—712; Ad Claras Aquas 1897.

Analecta Franciscana, t. I., 215—275; Ad Claras Aqnas 1885.

A Pisis Bartholomaeus, Liber conformitatum vitae brati ac seraph. P. Francisci etc.; Bononiae 1510—1513.

Berthaumier, Histoire de S. Bonaventure; Paris 1858.

Boule J-C., Histoire abrégée de la vie, des vertus et du culte de S. Bonaventure; Lyon 1747.

Baluzi Steph., Miscellanea; Luccae 1764, t. IV., 476 seqq.

Bullaeus, Hist. Universitatis Parisiensis, t. III., 287 seqq.

Bullae SS. Pont. Xisti IV. et V. apud I. Sent. S. Bonav. Prolog. XXXIX—LII. Ad Claras Aquas 1882.

Bullarium Francisc., t. III.,12. seqq.

Bonelli a Cavalesio, De S. Bonaventurae vita, doctrina et scriptis etc.; Bassani 1767.

Chérancé, S. Bonaventure; Paris 1898, Poussielque.

Chevalier Ulysse, Répertoire des sources historiques du moyen-âge; Paris, A. Picard, 1905; art. Bonaventure.

Da Vicenza P. Anton-Maria, Compendio della vita di S. Bonaventura; Venezia 1874.

— , Vita di S. Bonaventura; Roma, tipografia poliglotta E. S. C. de prop. fide, 1874.

Da Monte Santo Gaspare, Gesta e dottrina del seraf. dottore S. Bonaventura, Ed. 2 Firenze 1874.

Da Magliano P., Storia compendiosa di S. Francesco e dei francescani; Roma 1874, l. c. 21 et seqq.

De Clary L., Lives of the Saints and Blessed of the Three Orders of St. Francis; Taunton 1886, II., 466—490.

De Saint Antoine Jean, Bibliotheca universa franciscana; Matriti 1732, 3 vol. in fol.; Romae 1806.

Dissertationes de scriptis et vita S. Bonaventurae publici juris factae a PP. Collegii S. Bonaventurae; Ad Claras Aquas 1902 t. X. complementum.

Hefele, Conciliengeschichte, VI. B., 137—154; Freiburg i. Br. 1890.

Jeiler, S. Bonaventura [Kirchenlexikon II. B. col. 1017—1027, Herder Verlag Freiburg i. Br. 1883, Aufl. 2.]

Labbeus-Mansi, S. Conciliorum nova et amplissima collectio, t. 24., Venetiis 1780, col. 67 et seq.

Laurenze, The Life and Writings of Si. Bonaventura, [The Franciscan Monthly, London 1904— 1906].

Lemmens L., Der hl. Bonaventura, Kardinal und Kirchenlehrer; Kempten 1909.

— , Catalogus Sanctorum fratrum minorum; Romae 1903.

Leo XIII., Epistola ad R. P. Bernardinum a Pórtu Romatino O. M. Ministrum Generalem apud III. Sent. S. Bonav. I—II; Ad Claras Aquas 1887.

Mariani, S. Bonaventura; Firenze 1874.

Marangoni, Vita di S. Bonaventura; Padua 1874.

Martinus Monachus Fuldensis, Chronicon adud Joannem Georgium Eccardum, in Corpore historico medii aevi, t. I. col. 1711 et seqq. Ed Lipssensis 1723.

Muratori, Rerum Italicarum scriptores, t. XI. col. 1288; Ed. Mediolani 1727.

Mariani P. Ambrogio, San Bonaventura etc. Studii; Firenze 1874.

Robinson P., S. Bonaventure, [The Catholic Encyclopedia, 2 vol.. 648—654].

Realencyklopedie für prot. Theologie und Kirche, 3. B., 282—287.

Salimbene Parmensis, Chronica ad an. 1248, 136 seqq.; Parmae 1857.

Sbaralea P. H. Supplementum ad scriptores, 142—172; Romae 1806.

Skey, Life of St. Bonaventura; London 1889.

Smeets, S. Bonaventure, [Dict. de théologie catholique; Paris 1904, col. 992—986].

Surius, Vitae Sanctorum, 1618, VII, 187—190.

Schmidt Ch., S. Bonaventure. [Encyclopedie des sciences. religieuses, Paris 1877—1882, t. 2.]

Trithemius J., De scriptoribus ecclesiasticis, p. 112. apud Biblioth. Ecclesiast. Joannis Alberti Fabricii, Ed. Hamburg. 1718.

Thaddeus, R. P., S. Bonaventure; London, Cathol. Truth Society, 1908.

Venuti F., S. Bonaventura a Garigi studente e dottore. [La Rassegna nazionale, 19. 1. Aug. 1897.]

Wadding, Annales Min., ad an. 1222—1274; Romae 1732.

— , Scriptores Ord. Min., 61—81; Romae 1650.

F. Miscellanea:

Bonaventura S., Doctor Seraphicus, discipulorum S. Augustini alter princeps; Venetiis 1904.

La città di Aquila degli Abruzzi nella festiva ricorrenza del VI. centenario in onore del dottore serafico S. Bonaventura; Aquila, tipografia vescovile diretta da B. Vecchioni 1874.

Pel sesto centenario di S. Bonaventura etc. celebrato dai PP. Cappucini di Roma, tipografia poligl, della SS. C. di Prop. fide 1874.

Solenni Onori al dottore seraf. S. Bonaventura etc. tributati nel tempio di Aracoeli in Roma; Roma 1874.

Schegg P., Der hl. Bonaventura dargestellt aus Anlaß d. 600 jährl. Jubiläums seines glorreichen Todes; Wien 1874.

Exiguum vitae curriculum.

Georgius Božitković, legitimus filius possessoris Thomae eiusdem cognominis, Svirče in insula Pharos Dalmatiae, die 5. Augusti anno 1887 natus est. Absolutis studiis gymnasialibus in oppido Sinj, in ordinem Fratrum Minorum almae provinciae SS. Redemptoris Dalmatiae die 25. Septembris 1906 ingressus est. Post annum novitiatus Visovatii feliciter obitum, quattuor semestribus philosophiae Sebenici, sex quidem Zaostrogii et Makarskae theologiae operam navavit.

Sacris ordinibus die 28. Julii 1912 initiatus, paulo post ad universitatem Lovanii cursui theologiae superiori operam dandi mittitur. Absolutis rite ibidem duobus semestribus transiit ad universitatem Friburgi Helvetiorum, in qua assidue quinque semestribus theologiae, duobus vero philosphiae vacavit.

217.33 Bozitkovic, Georgio
AUTHOR
B793 S. Bonaventurae Doctrina
TITLE
de Gratia.

DATE DUE	BORROWER'S NAME

217.33
B 793

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library